Digitized by Google

NAZ. CENTR.
BIBLIOTECA 204 12 G 5 VITT. EMAN. II
ROMA

Digitized by Google

P = V = 29

Digitized by Google

Sch. 12. 9. 5

Digitized by Google


Feretis primitias messis uestræ
ad Sacerdotem Levit. xxiii. 10
Gio. Batta Lenardi delin.
Arnold V. Westerhout sc

Digitized by Google

AD

SANCTISSIMVM, ET BEATISSIMVM

PATREM D. N.

INNOCENTIVM XI.

PONT. MAX.

CONIECTVRÆ

DE PERPETVO AZYMORVM VSV

IN ECCLESIA LATINA, VEL SALTEM ROMANA,

Qua occaſione

Vox *FERMENTI* in MELCHIADIS, & SIRICII Decretis,

Ac in Epiſtola INNOCENTII I. Rom. Pont.

Alijque Veteres Eccleſiaſtici Ritus
declarantur.

AVCTORE

IOANNE CIAMPINO

MAGISTRO BREVIVM GRATIÆ,

AC IN VTRAQVE

SIGNATVRA REFERENDARIO.

ROMÆ,

Ex Typographia Ioannis Iacobi Komarek. M DC LXXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Bibliotheca S. Sebastiani extra Urbis menia

Digitized by Google

Hominis, finis eſt perfectè quærere veritatem.

S. Auguſt. contra Academicos lib. 1. cap. 3.

BEATISSIME PATER.

TENVISSIMVM hoc ſtudium meum in enodanda quæſtione, cæteroqui perarduâ, & inter celebres, & eruditos viros ſæpiùs agitatâ, videlicet an Eccleſia Latina, ſeu ſaltem Romana ſemper in Azymis conſecra-

Digitized by Google

uerit nec ne? (qua occaſione *Fermenti* vox, nonnullique Eccleſiaſtici Ritus dilucidantur) tamquam Laborum meorum primitias, in Lucem publicam editurus, cui conſecrarem incertus haud hæſi, ſed præcepti Domini memor: *Primitias Meſſis veſtræ offeretis ſacerdoti:* protinus vni Tibi iure debere cognoui, *qui Sacerdos Maximus*, *ac vniuerſalis Pontifex es: qui claues ſcientiæ accepiſti: In cuius pectoris arca tabulæ Teſtamenti*, *&* *Mannà Cœleſtis ſaporis requieſcunt: Qui quod ligas nemo ſoluit, quod ſoluis nemo ligat: qui aperis*, *&* *nemo claudit, claudis, & nemo aperit*, vno Verbo, *Qui vices in Terris poſſides Dei*. Quin etiam, quid boni vſquam eſt, quod vnicè Tibi non debeamus, per quem à Deo nobis illapſum eſſe cognoſcimus? Per Te equidem dicere haud vereor, & Reges regnant, & Domini dominantur. Cùm ope tuâ, Conſilijſque, inito ſacro fœdere, immaniſſimus Chriſtiani nominis hoſtis, non modò ab Auſtriæ, quam penè armis, metuque obruerat, ſed à totius Chriſtiani Orbis ceruice depul-

Leuit. 23. 10.

Anaſtaſius in Præfat. Vitæ S. Io. Eleemoſyn. ad Nicol. I. Pap. directa.

pul-

pulſus ſit. Et qui aliena Imperia, Regnaque ſuperbâ atque improbâ ſpe vorauerat, excedere ſuis cogitur: ac quas Chriſti Fidelibus compedes, & iuga ferrea molitus fuerat, ipſe ſubit, trahitque. Præterea quamdiù Chriſtiana, Catholicaque Religio in inclyto Angliæ Regno ſe inter altiſſimas diuerſarum Hæreſum tenebras inuolutam ingemuit? quamdiù ſumma ærumnarum, atque calamitatum pati conqueſta eſt? At hæc tandem iam aliquando Te Duce, Te Auſpice, veluti de humani generis hoſte triumphans viuidior, atque glorioſior aſſurgit. Demùm de florentiſſimo Galliarum Regno quid dicam, quod, Te ſedente, Hæreſi eiectâ, profligatâque, tam latè, vepribus purgatum eſt? Nonne maxima hæc bona ſunt? quæ *Pater luminum*, ac miſericordiarum Deus, *à quo omne datum optimum, omne donum perfectum eſt*, tunc Reipublicæ Chriſtianæ, & Eccleſiæ indulſit, quùm humili plebi ſuæ difficillimis his Temporibus Te Patrem, atque Paſtorem, Teque Eccleſiaſticæ Libertatis vindicem dare dignatus *Iacob. Cap. 1. 17.*

eſt

eſt? Cùm igitur quidquid maximum, quidquid egregium in Terris eſt, nemo acceptum tibi deberi non fateatur, minima hæc Sanctitati Tuæ, ſumma cum humilitate, atque veneratione offerre quid dubitem? Quamobrem Tu meas haſce lucubrationes, qualeſcumque ſint, libens excipias, rogo, vt cætera, quæ præ manibus habeo abſoluere potis ſim. Ego enim, quod meum eſt, Datorem omnium Deum enixè deprecor, vt quam diutiſſimè Te incolumem, ſeruatumque ad Chriſtianam regendam Rempublicam velit: & ad Sanctitatis Tuæ Pedes humillimè prouolutus eoſdem venerabundus exoſculor, meque ijs ſubmitto.

Humillim. & Addictiſs. Subditus ac ſeruus

Ioannes Ciampinus.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

S I V E

Occaſio ſcribendi.

COGITANTI mihi ſæpenumerò de voce *Fermenti*, ac de vſu Azymorum aliqua fortaſsè digna, quæ publicam lucem aſpicerent, in medium proferre, admodùm R. P. Ioſephus Maria Thomaſius, de Rep. Literariâ ob veteres Eccleſiaſticos ritus egregiè illuſtratos, ac Typis vulgatos, optimè meritus, mihique familiaritate coniunctiſſimus, ſignificauit è celebri monaſterio S. Galli in Heluetia ſe antiquiſſimum Ordinem, ſiue Rituale accepiſſe, quod non parùm Fermenti vocem illuſtrabat. Quamobrem de hac eâdem voce plurimum peramicè fuimus altercati: Præcipuè cùm adhuc memoriæ meæ occurſarent, ac voluerentur recentes rerum ſpecies, quas in Ordine Romano Eccleſiaſticos ritus con-

Digitized by Google

continente à Melchiore Hittorpio olim edito commodùm legeram. Neque verò longâ diſputatione defeciſſe mihi ſat fuit: Domum enim reuerſus, nihil antiquiùs habui, quàm eundem Ordinem ſedulò, & operoſiùs euoluere, & quidquid in eo reperirem, quo mea ſententia confirmaretur, diligenter notare: vt exinde diſſertationem conficere, ac eidem R. P. tradere poſſem. Plura igitur cùm excerpſiſſem, tam ex eodem Ordine Romano, quàm ex alijs, qui de Sacris Eccleſiæ ritibus agunt: ea non parum conducere arbitratus fui dilucidandæ celebri quæſtioni de *Fermento*, ſeu de *Azymo & Fermentato*, quam multò iam ante P. Iacobus Sirmondus è Societate Ieſu denuò in lucem reuocauit, ac poſtmodùm bo: mem: Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Bona amplexatus eſt, ac deinde ſententiam ſuam in aliquo temperauit. Ea verò, quæ notaui, diſtuli publici iuris facere, cùm non minimam ſpem animo concepiſſem, fore, vt in ſacris Libris, in quibus adhuc legendis detineor, eò quod in in præſentiarum de *Veteris Eccleſiæ Monumentis*, *præcipuè verò de Muſiuis operibus* ſcribam, fortaſſe aliquid inuenirem, quod opinionem meam fulciret; At ſpe meâ fruſtratus minimè fui, cùm in itinere Germanico nuper in lucem edito à CCll. Viris D. Ioanne Mabillon & D. Michaële Germain è Congrega-

tione

tione S. Mauri (quorum virtus, & eruditio Reipublicæ Literariæ ſatis notæ ſunt) aliquid reperi, quod meæ ſententiæ admodùm conſentaneum fuit, de quo ſuo loco. Nihilominus quæ ſepoſueram, diſtuleramquè adhuc in tenebris deliteſcerent, niſi Cl. Vir Emanuel à Schelſtrate Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, ac modò etiam Baſilicæ Vaticanæ Canonicus mearum lucubrationum haud ignarus, cùm aliquando Vaticanam Bibliothecam adirem, ad antiquos Codices M S. perquirendos, me ad ea Typis mandanda impuliſſet occaſione ſui eruditiſſimi tractatus *De diſciplina arcani*. In quò Cap. 7. Art. 5. Tractatum hunc à me parari aſſeruit; Nè igitur hæc eius aſſertio eludatur, cæterorumque amicorum hortatus, ſuaſioneſque hac de re deſpici videantur, licèt, vt dixi, plurimam alijs rebus ſcribendis dem operam. Has meas notas qualeſcumque ſint amantiſſimis Eccleſiaſticæ eruditionis libens expono. Vt, ſi quid in eis inuenerint, quod Romanæ, Latinæquè Eccleſiæ geſta indicet, ſiue confirmet, has meas lucubrationes laudent: ſin minus tantillitatem (vt cum Anaſtaſio loquar) ingenij mei faciles patiantur, ſciantque primitias eſſe, ac fortaſſe immaturas; quin magnos etiam viros immunes ab erroribus inueniri difficile eſt, cùm humani ingenij imbecillitas id efficiat. Vt dum vnum quid diligentiùs intendas

Digitized by Google

ab alijs diſtraharis . Propterea magnus quoque Nazianzenus in oratione 49. teſtatur ſe amore Catholicæ fidei allectum edidiſſe libellum contra Arrianos, eumquè amico legendum dediſſe, ac poſtulâſſe vt diſſimulato Auctore doctis viris, ac prudentibus legeret, vt ſi quid nouiſſet, quod illic plus aut minus poſitum videretur, poſſet plurimorum conſilio emendari. Hoc ego tanti Doctoris exemplum in celando meo nomine libenter ſecutus eſſem, ſi Superiorum Auctoritas mihi annuiſſet. Si quid ergo in illo imperitiùs ſcripſerim, fateor certiora docentibus me id emendare continuò paratum eſſe.

SPHY-

SPHYNGIS velut ænigma ſub vnico *Fermenti* vocabulo deliteſcens, cui ſoluendo tot eruditorum ingenia deſudarunt, ſatis luculenter ſoluere tandem videtur OEdypus hic noſter, huius diſſertationis Author. Digniſſimam propterea illam cenſeo, quæ lucem videat, vt lucem afferat obſcuriſſimæ quæſtioni; cùm præſertim nihil in ea contra Orthodoxam Fidem, & bonos mores appareat.

Angelus de Nuce Archiepiſcopus Roſſanenſis.

MANDATIS obtemperans Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatij Fr. Dominici Mariæ Puteobonelli, librum percurri inſcriptum *Coniectura circa perpetuum Azymorum vſum in Eccleſiâ Latinâ*: Illicò, vel ex ipſo lemmate, quod res erat, animo præſumens, tractatum coniectaui, autore ſuo, nimirùm ingenio haud quaquàm proletario, ſed in ſacrâ eiuſmodi literarum Spartâ quàm optimè verſato, digniſſimum. Nec verò fefellit coniectura. De *Fermento* enim à Pontificibus Romanis miſſitari ſolito tam copioſè agit, vt in vaſto Antiquitatis, perquàm profundè ſilentis, pelago, iam nunc fundum apparere fecerit, ad quod iàm dudùm nè Delij quidem pertingere valuerunt natatores. Quare cum nihil contineat, quod fidei, morum, ipſiuſque Indicis præſcripto aduerſetur, ceſſurum puto, quandocunque publici iuris fiat, in magnum eruditæ curioſitatis tùm *pabulum*, tùm *incrementum*. Romæ, è Cœnobio S. Mariæ ſuper Mineruam xj. kal. Nouemb. anno redempti Orbis MDCLXXXVII.

Fr. Angelus Iulianus, Ord. Præd. Theologus, ac Fidei olim Quæſitor Genuæ.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij.

Stephanus Ioſeph Menattus Epiſcopus Cyrenen. Viceſger.

Imprimatur.

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Sac. Pal. Apoſtol. Magiſter Ord. Prædicat.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

Totius Operis.

CAP. I. *Breuis diſſertatio quæſtionis de Azymo à Michaële Cerulario Patriarcha Conſtantinopolitano contra Latinos excitatæ, cum illius obiectionibus, ac Latinorum reſponſionibus, ex quibus clarè deducitur, Ieſum Chriſtum Dominum Noſtrum, Sanctiſſimum Eucariſtiæ Sacramentum in Azymo inſtituiſſe.* pag. 1.

Cap. II. *Qualis Panis apud Ethnicos Romanos tempore primitiuæ Eccleſiæ vſitatus fuerit, Azymus ne, an Fermentatus?* pag. 33.

Cap. III. *Eccleſiam Latinam ſingulis Sæculis in Azimis celebraſſe oſtenditur.* pag. 41.

Cap. IV. *Vox* Fermenti *in Melchiadis, & Siricij decretis, ac in Epiſtola Innocentij I. ad Decentium Epiſcopum contenta, in quo ſenſu à nonnullis ſcriptoribus accepta ſit?* pag. 63.

Claſſis I. *Eorum qui licet de voce* Fermenti *diſſcruerint, nihilominus, quid ea denotaret, non expreſſerunt.* pag. 66.

§. I.

§. I. *Anonymi ſententia de Fermento.* pag. 66.
§. II. *Petri Epiſcopi Vrbeuetani iudicium de Fermento.* pag. 68.
§. III. *Franciſci Mariæ Florentini de Fermenti voce cogitatum.* pag. 69.
Claſſis II. *Illorum, qui Fermenti vocem Euchariſtiam denotare putarunt.* pag. 60.
§. I. *Claudij Eſpencæi Pariſienſis Theologi coniectura de Fermento.* pag. 70.
§. II. *Latini Latinij ſententia de* Fermento. p. 72.
§. III. *Reu. P. Iacobi Sirmondi ſententia de Fermento.* pag. 75.
§. IV. *Eminentiſſimi Cardinalis Bonæ ſententia de* Fermento. pag. 83.
§. V. *Chriſtiani Lupi iudicium de* Fermento. pag. 87.
Claſſis III. *Sententiam illorum expromit, qui Eulogias, ſiue Panem benedictum,* Fermenti *Vocem denotare crediderunt.*
§. I. *Reuerendiſſimi Nicolai Cardinalis Cuſani, ſiue de Cuſa ſententia de* Fermento. pag. 89.
§. II. *Eminentiſſimi Cardinalis Baronij iudicium de* Fermento. pag. 91.
§. III. *Seuerini Binij ſententia de eadem* Fermenti *Voce.* pag. 92.
§. IV. *Theophili Raynaudi ſententia circa* Fermentum. pag. 97.

§. V.

§. V. *P. Franciſci Macedo placitum de* Fermento. pag. 99.
§. VI. *Antonij Dadini Altaſſerræ ſententia de* Fermento. pag. 106.
§. VII. *Ioannis Cabaſſutij de* Fermento *iudicium*. pag. 106.
Claſſis IV. *Illorum, qui ad Myſticum ſenſum* Fermenti *vocem traxerunt*. pag. 108.
§. I. *Antonij Auguſtini coniectura de* Fermento. pag. 108.
§. II. *Ioannis Mabillonij iudicium circa* Fermentum. pag. 111.
Cap. V. *Ioſephi Mariæ Thomaſij Presb. Reg. Priſci* Fermenti *noua expoſitio*. pag. 113.
Cap. VI. *Refelluntur argumenta Eminentiſſimi Bonæ, quibus probare intendit* Fermentum *in Eccleſia Latina vſque ad Schiſma Michaëlis Cerularij, vel per ea tempora, vſitatum fuiſſe*. pag. 134.
Cap. VII. *Auctoris ſententia de* Fermento *proponitur*. pag. 160.
Cap. VIII. *De mixtione ſacrati Vini cum Vino non conſecrato, quid dicendum ſit?* pag. 188.
Cap. IX. *Quid eſſet Fermentum, quod dabatur Sabbato in Conſiſtorio Lateranenſi*. pag. 202.
Thomaſij de Fermento, *quod dabatur Sabbato ante Palmas in Conſiſtorio Lateranenſi, opinio*. pag. 214.
Cap. X.

Cap. X. *Sententia Amalarij Fortunati, Metenſis Eccleſiæ Diaconi, de antiquo ritu immiſſionis duarum Particularum ſacrati Panis in Calicem.* pag. 221.

Cap. XI. *Ioannis Beleth Theologi Pariſienſis, & Gulielmi Durandi Mimatenſis Epiſcopi iudicium ſuper mixtione Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum Vino non conſecrato in die Paraſceues.* pag. 229.

Cap. XII. *An antiquitus permiſſum eſſet Acolythis ſacratiſſimam Euchariſtiam deferre?* pag. 233.

Cap. XIII. *De Antiquitate Ordinis Romani.* p. 242.

Cap. XIV. *De Voce* Ruga. pag. 260.

CAPVT PRIMVM.

Breuis Diſſertatio quæſtionis de Azymo à Michaële Cerulario Patriarcha Conſtantinopolitano contra Latinos excitatæ, cum illius obiectionibus, ac Latinorum reſponſionibus, ex quibus clarè deducitur, IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Azymo inſtituiſſe.

CVM in præſentibus noſtrorum laborum primitijs, quas publici iuris facimus, de *Fermenti* voce ſimus acturi, de qua inter eruditiſſimos, ac celeberrimos, noſtri præſertim ſæculi, Viros maxima controuerſia orta eſt, operæ pretium ducimus aliqua de Azymis præmittere, ac celebrem quæſtionem inter Latinos, & Græcos olim excitatam retexere. Quæ omnia veluti pro baſi, ac fundamento his, quæ infrà dicturi ſumus inſeruient,

Digitized by Google

cùm cognitis rerum principijs, multò faciliùs extrema intelligantur.

Agebatur iam annus reparatæ Salutis DCCC LVIII. cùm communionis, ac pacis Teſſeram inter Eccleſiam Latinam, & Græcam iam tum vigentem, effrenis dominandi libido diſrupit, omniumque diſſidiorum, & calumniarum contra Latinos fons, & origo vnica fuit.

Cùm enim Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus è ſua Sede pulſus fuiſſet operâ Bardæ Patricij, penès quem ſumma Imperij adminiſtratio erat, quòd ipſi Bardæ Vxoris repudium, & Cognatæ conſuetudinem interdixerat; ipſius Ignatij locum Photius Eunuchus occupauit, qui primus à Secretis Imperij, ac Protoſpatharius; nobilitate, opibuſque inſignis, ſęcularibus ſcientijs diſertiſſimus, gloriæque cupidiſſimus, ſex dierum ſpatio ex Laico Patriarcha effectus fuit: primâ die Monachus, ſecundâ Lector, tertiâ Subdiaconus, quartâ Diaconus, quintâ Presbyter, ſextâ denique Patriarcha conſtitutus. Porrò diram aduersùs Metropolitanos, & Epiſcopos, qui obedientiam ei præſtare noluerunt, perſequutionem excitauit; varias, graueſque contra Ignatium legitimum Patriarcham calumnias, excogitauit, eundemquè, Pſeudo-Synodo conuocatâ, ſumma temeritate damnauit: Legationem deinde ad Nicolaum I. Pontificem miſit, qui

qui Legatos quidem audiuit, ad communionem tamen non admiſit. Quapropter Imperatoris authoritate ſuffultus, magnum iterum Concilium, ſeu potiùs Pſeudo-ſynodum indixit, in qua Ignatij Sanctiſſimi Patriarchæ damnatio, Photij verò intentio rata habita, & confirmata eſt. Verùm hiſce de cauſis Photius à Nicolao prædicto Summo Pontifice in Romana Synodo è ſua Sede depoſitus, Papam ipſum temerè excommunicare auſus eſt, plurimaſque calumnias contra Latinam Eccleſiam diſſeminare, quæ ad decem Capita reduci poſſe mihi videntur; nempe.

1. *Quòd ieiunemus in Sabbathis.*

2. *Quòd Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere ſentiamus.*

3. *Quòd damnemus nuptias, quia Presbyteris coniugia prohibemus.*

4. *Quòd Presbyteris inhibeamus; baptizatorum frontes Chriſmate linire.*

5. *Quòd Chriſma ex aqua fluminis conficiamus.*

6. *Quòd octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium, & ſeptem hebdomadibus à caſei, & ouorum eſu non ceſſemus.*

7. *Quòd in Paſchate Agnum more Iudaico ſuper Altare pariter cum Dominico Corpore benedicamus, & offeramus.*

8. *Quòd Clerici noſtri barbas radere non abnuant.*

9. *Quòd Diaconus non ſuſcepto Presbyteratûs Officio apud nos Epiſcopus ordinetur.*

10. *Quòd à Sedis Apoſtolicæ Legatis fidei libellum ipſe Photius exigeret.* Hæc non eſt calumnia.

Hæ autem Photij calumniæ, quæ ſummatim relatæ ſunt, habentur quoque in Epiſtola 51. Hincmari Rhemenſis Epiſcopi ad Odonem Epiſcopum Bellouacenſem. Cæterùm ſi prolixiorem hiſtoriam, Lector videre cupiat, eam in præfatione octauæ Synodi ab Anaſtaſio eleganti ſtylo deſcriptam legere poterit.

Diſcordiarum ſemina, quæ multò iam antè Photius iecerat, denuò pullulare cœperunt, nam Michaël Cerularius, natione Conſtantinopolitanus, genere illuſtris, inquies ingenio, rebellis in Principem, ac ob ſcelerum pœnam detruſus in monaſterium, centum & ſexaginta circitèr annos poſt vltimam damnationem Photij factam ab Hadriano, III. anno 884. vt ſcribit Baronius, ipſius Photij ſucceſſor non tantum in Conſtantinopolitana Sede, quàm in eius moribus, per deceſſum Alexij promotus in Patriarcham anno 1043. poſt decem annos à ſua promotione Romanam Eccleſiam vexare aggreſſus fuit, vt ex Epiſtola tàm eius, quàm Leonis Achridiani Archiepiſcopi Bulgarorum nomine ſcriptâ ad Ioannem Tranenſem Epiſcopum colligitur, in

in qua multas calumnias aduersùs Romanam & Apoſtolicam ſedem, omnemque Occidentalem inſeruit Eccleſiam. Has inter calumnias ſiue obiectiones, celebris illa fuit de Azymo, quam (cùm ad rem noſtram ſpectet) omiſſis cæteris, hic referre opportunum exiſtimamus, & ſic ſe habet.

Quod Azyma, & Sabbatha myſticè indecenter Latini cuſtodiebant, & communicabant cum Iudæis. Etenim Azyma & Sabbatha ipſos cuſtodire à Moyſe in more fuiſſe, Chriſtianorum verò Paſcha Chriſtum eſſe, qui vt non iuxta legem inueniretur aduerſarius, circumciſus eſt, & legale Paſcha celebrauit primitùs, ſic illo diſcedente, noſtrum nouum operatus eſt: & hoc manifeſtum fuit in Euangelio ſecundùm Matthęum. Vbi de Myſtica cœna loquens Euangeliſta. 26. ſic inquit: *Prima autem die Azymorum acceſſere Diſcipuli ad Ieſum dicentes ei: vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? qui ait: Ite ad Ciuitatem ad quendam & dicite ei: Tempus meum propè eſt apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis.* Et poſt puſillum: *Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim, & edentibus illis dixit: Amen Amen dico vobis, quia vnus Veſtrûm me traditurus eſt.* Et paulò poſt dicente Iuda: *Numquid ego ſum Rabbì?* dicit ei: *Tu dixiſti.* Deinde ſubiungit Cerularius. Hucuſque ò Dei homines vniuerſa legalis Paſchæ ſunt. Deinde ea quæ myſtici, & noſtri

ſunt

Digitized by Google

ſunt addidit: Euangeliſta enim dixit: *Edentibus autem illis accepit IESVS panem, fregit, & dedit Diſcipulis ſuis, & dixit: Accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur, & accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex eo omnes, hic eſt Sanguis meus noui Teſtamenti.* Dicendo enim noui, oſtendit quomodo ea, quæ Veteris fuerunt Teſtamenti, ceſſauerunt. Aſpicite quomodo Panem Corpus ſuum ſub nouo Teſtamento vocauit. Vos quidem Panem, nos ἄρτον dicimus. ἄρτος autem interpretatur eleuatus, & ſursùm portatus, à Fermento, & Sale calorem, & eleuationem habens. Azymæ autem nil diſtant à lapide ſine anima, & luto lateris deorſum coniunctæ terræ, & ſicco luto comparatæ, quas cum amaritudinibus Moyſes comedere miſeris Iudæis ſemel in anno legem conſtituit, dicens: Quoniam malæ paſſionis, & tribulationis ſymbola ſunt: At noſtrum Paſcha gaudium, & lætitia totum eſt, & extollit nos ab humo propter gaudium ad Cœlum, ſicut & Fermentum propter proprium calorem Panem, qui Panis omni ſuauitate repletus eſt. Azymæ verò neque Sal, neque Fermentum habentes, lutum eſt aridum: At non audiſtis IESVM dicentem Diſcipulis ſuis, quia: *Vos eſtis Sal terræ*: & quoniam: *Simile eſt Regnum Cœlorum Fermento quod accipiens mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, vſque dum*

fer-

fermentaretur totum? Matthęi 5. & 13. Mulierem Sanctam Eccleſiam vocat: ſatis verò tribus modijs repletis, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quorum nequaquam lutulentulæ Azymę ſunt participes. Dicit enim & Dauid Pſal. 109. de Chriſto: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Qui ante Abraham & Moyſen, Cœli, & Terrę, & cęterarum Creaturarum agnoſcens Deum, exſurgens obtulit illi Panem, & Vinum: Ideo dicit Diuinus Apoſtolus ad Hebręos. 7. *Quoniam ſi conſummatio per Leuiticum Sacerdotium erat, non ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdos Chriſtus diceretur. Et quia tranſlato Sacerdotio, neceſsè eſt, vt legis tranſlatio fiat.* Quæ lex lutulenta conſtituit Azyma Iudęis cuſtodire. Idem ipſe magnus Paulus ad Corinthios primâ Epiſtolâ de his loquens ait: *Fratres, ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus in nocte, qua tradebatur, accepit Panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & de Calice: *Hic eſt Calix nouum Teſtamentum in meo Sanguine, hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem. Quotieſcumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, in meam commemorationem mortem Domini annuntiabitis.* Azymæ verò neque commem oratio-

nem

nem habent Dei, neque mortem illius annuntiant: ſicut Moſaicæ, & ante mille quadringentos annos ex lege conſtitutæ, & per nouum Teſtamentum, hoc eſt per Sanctum Euangelium, & per Chriſtum maledictæ, & derelictæ.

Huic Cerularij obiectioni Leo IX. Sanctiſſimus Pontifex ſibi reſpondendi onus incumbere reputans, ita reſcripſit; vt ex eius Epiſtola I. Cap. V. Inde (inquit) eſt totum illud quod tandem cum indicibili contritione, & gemitu cordis, ac corporis effundimus, in quo omnia viſcera Catholicæ Matris concutiuntur, in quo omnes ſenſus Chriſtianorum obtenduntur, in quo diſciplina Eccleſiaſtica, & Sanctorum vigor Canonum confunditur, ac calcatur, quia tu chariſſime nobis, & adhuc dicende in Chriſto frater, & Antiſtes Conſtantinopolitane, Tuque Leo Achridane, dicimini Apoſtolicam, & Latinam Eccleſiam noua præſumptione, atque incredibili audacia, nec auditam, nec conuictam palam damnaſſe, pro eo maximè, quod de Azymis audeat commemorationem Dominicæ Paſſionis celebrare. Ecce incauta reprehenſio veſtra! Ecce non bona gloriatio veſtra, quando ponitis in Cœlum os veſtrum, cum lingua veſtra tranſiens in terra, humanis argumentationibus, & coniecturis, antiquam fidem confodere, ac ſubuertere moliatur. Ecce niſi quantociùs reſipiſcatis, incorporati, &

an-

annumerati, quod abſit, eritis in illa cauda Draconis, qua tertiam partem ſtellarum Cœli traxit, & in terram miſit. Ecce iam poſt mille, ac ferme viginti à paſſione Saluatoris noſtri annos, incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria paſſionis eiuſdem ſit recolenda, quaſi nil ei contulerit præſentia, conuerſatio, & diuturna inſtitutio, ſeu, qua clarificauit Deum, mors pretioſa illius venerabilis ſenis, cui ſpecialiter Chriſtus Filius Dei Viui dicit: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cœlis*. Et poſt multa alia, nempe Cap. 20. ſubiungit.

Quapropter à tanta amentia iam reſipiſcite, & Latinos verè Catholicos, atque maximi Petri familiariores Diſcipulos, inſtitutioniſque eius deuotiores ſectatores, ceſſate ſubſannando Azymitas vocare, aut Eccleſijs illis denegare, ſeu tormenta, ſicut cœpiſtis inferre, ſi vultis nunc, & ſemper pacem, & portionem cum Petro habere.

Sequenti anno, nempè 1054. Idem Leo Papa pro Eccleſiaſtica pace inter Latinos, & Græcos concilianda, & pro bello gerendo aduerſus Northmannos, Legatos Conſtantinopolim miſit Cardinales, Humbertum Epiſcopum Syluæ Candidæ, ac Fridericum Archidiaconum & Cancellarium; nec non Petrum Archiepiſcopum. Inter hos eminebat

Digitized by Google

Humbertus Hebraicæ, Græcæ, Latinæque linguæ peritiâ, ac eximiâ doctrinâ. Quare habitâ Conſtantinopoli cum Græcis Schiſmaticis diſputatione de Azymo, & Fermentato, ſingulas obiectiones diluit.

Ad Primum enim, quod nos Latini Azyma cum Iudæis cuſtodiamus, adductis Sacræ Scripturæ locis reſpondit: Azyma Hebræis per ſeptem dies comedere præceptum fuiſſe, Nos autem nec ipſos ſeptem dies aliter quàm reliquos anni dies in Azymis obſeruare.

Ad Secundum, quod Chriſtus Dominus Panem Corpus ſuum ſub nouo Teſtamento vocauit &c. Reſpondit: Dominum Ieſum Panem Benedictum, & fractum in memoriam ſui, ſub nouo Teſtamento, Corpus ſuum vocaſſe; omnemque huiuſmodi Panem viuificare, Mundoque vitam præbere; vtpotè qui Spiritu & Calore Dei viui plenus eſt. Deinde nos *Panem*, Græcos ἄρτον dicere, & Panis vocem indifferenter ſumi, ſiue fuerit Azymus, ſiue Fermentatus; quæ omnia variorum Sacræ Scripturæ locorum explicatione confirmat.

Ad Tertium, quod Azymum nihil diſtat à lapide &c. Reſpondit: Græcos dignam ſui erroris mercedem recepturos, ſi quis ipſis incluſis, & omni conſolatione humani victus fraudatis, lapidem ſeu ſiccum lutum lateris apponeret pro Azymis, tunc

pro-

proculdubio in ſummo diſcrimine fore, vt verè dicerent, plurimum diſtare lapidem, ſiue laterem ab Azymis &c.

Ad Quartum nempe, quod Azymum neque ſal, neque Fermentum habens, lutum ſit aridum; Reſpondit: ſi ipſi Græci definiunt lutum idem eſſe, ac quidquid neque Sal, neque Fermentum habet; ergo beati Spiritus, & animæ iuſtorum, ſiue ipſa quatuor elementa, ex quibus omnia hæc quæ videntur, exiſtunt, conſtantque, lutum aridum ſunt: quoniam neque Sal, neque Fermentum habent.

Deinde hæc ſcribit: Nunc videatur quænam Eccleſiarum maiori diligentia, & ſubtiliori ſignificatione Dominici Corporis proprietatem, vel veritatem imitetur. Romana quippe, & Occidentalis Eccleſia à Miniſtris Sacri Altaris in Secretario confectum offert Azymum, quod ex grano frumenti, & limpida lympha per ignem fuerit præparatum, ſignificans ſe in vna Mediatoris Dei, & hominum, hominis Dei IESV CHRISTI Perſona, tres perfectas credere, & venerari ſubſtantias, humanam ſcilicet carnem, animam rationalem, & Verbum Dei Deum.

Poſt multa ſubiungit: Iam, quia ſufficiente auctoritate noui & veteris Teſtamenti conſtant Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM commemorationem ſuæ Paſſionis recolendam in Azymis, di-

Digitized by Google

ſcipulis ſub ipſa Cœna commendaſſe, ſicut hodieque ſancta Romana, & Latina Eccleſia noſcitur recolere: dicere debetis cuius inſtitutionem in Fermentato tam obſtinatè defenditis. Nempe quicumque, ſeu qualiſcumque ille fuerit, iuxta Beatum Iob compoſitus Deo, qui eſt ipſa Iuſtitia, & Sapientia, nec Iuſtus, nec Sapiens erit. Nec poteſt fieri vt quilibet conuenientiùs, aut veriùs commendare præualuiſſet Sacroſanctum Myſterium fide, quam ipſe, qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo *in odorem ſuauitatis*. Hæc præcipuè ad Azymum ſpectantia breuiter fuimus proſequuti, cùm etiam infra de eiſdem Azymis alia dicturi ſimus.

Eodem Tempore, quo Conſtantinopoli prædictus Humbertus Cardinalis detinebatur; Nicetas Monachus, ac Presbyter Monaſterij Studiani, qui prænominabatur Pectoratus, libellum contra Latinos edidit, in quo inter alias obiectiones iſta de Azymo continebatur: Videlicet Nos veritati obſiſtere. Si enim traditum nobis fuit ab Apoſtolis comedere Azyma; quomodo Agathon Sanctiſſimus Papa noſter, Præſeſſor cum eſſet ſextæ Synodi ſub Conſtantino Imperatore, & Diuinus Gregorius Agrigentinorum Epiſcopus non obſtitere, cum ſicut huius Synodi diuini Patres aduerſum Azyma legem conſtituiſſent à nemine fidelium hoc

fie-

fieri? Et iterum: Si autem aliquis dixiſſet de ſancta, & vniuerſali Synodo, quod Papam Romæ Sanctiſſimum Agathonem Preſeſſorem habuit, ipſa centum, ſeptuaginta Patrum, ſub Conſtantino Imperatore Nepote Heraclij, & Patre Iuſtiniani; quomodo non obſtitit Diuinus Agathon ſanctæ Synodo ſancienti aduerſum hos impios, quos vſque tunc habebant? Si verò ab Apoſtolis habuiſſemus has traditiones obſtitiſſet forſitan, & non ſuſcepiſſet hæc, quæ apud ipſos Græcos ab ea promulgata ſunt Papa cùm eſſet noſter, quoniam adulteras cognoſcebat traditiones ipſas, & extraneas ab Apoſtolorum doctrina.

Huius Nicetæ propoſitioni reſpondit Cardinalis Humbertus. Quod pijſſimus Princeps Conſtantinus (nempè Pogonatus) interrogauit Legatos Apoſtolicæ Sedis qualiter Romana Eccleſia de Sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri IESV CHRISTI ordinem teneret? Illi reſponderunt: *In calice Domini non debet ſolùm offerri Vinum, ſed Aqua mixtum.* Nam ſi ſolum Vinum offertur, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis, & ſi Aqua pura offertur, ſola plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando vtrumque admiſcetur, ideſt Vinum, & Aqua, tunc Sacramentum ſpirituale perficitur. Oblatio verò, quæ in Sacrificium Altaris offertur, nullam commixtionem, aut corruptionem Fermenti debet habere, ſicut Beata Virgo Maria abſque omni corrup-

ruptione Chriſtum concepit, & peperit. Hinc in Eccleſia mos obtinuit, vt Sacrificium Altaris non in ſerico, aut in panno tincto, ſed in lino terreno celebretur, ſicut Corpus Domini fuit in Syndone munda ſepultum, ſic & oblatio munda debet eſſe à Fermento, iuxta quod in geſtis Pontificalibus à Beato Syluestro legimus eſſe ſtatutum.

Græcorum rabies, ac liuor erga Latinos, minimè extingui potuit rationibus per Humbertum Cardinalem adductis; quinimò incrementum accepit, vt colligitur ex Anonymi tractatu contra Græcos, qui habetur in Tom. 27. Maximę Bibliothecę PP. quem aliquî Manuelem Calecam inclyti Ordinis Prędicatorum, natione Græcum circa finem quarti decimi Sæculi fuiſſe autumant; quamuis P. Labbe in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis circa medium decimi tertij Sęculi vixiſſe velit. In noua autem Bibliotheca Maxima Tom. 26. in monitione ad Lectorem de Manuele Caleca dicitur, Librum aduerſus errores Græcorum editum, nihil ad Calecam attinere, ſed certum habere authorem Pantaleonem. In hoc Auctore leguntur Græcorum rationes contra Latinos in Azymo conſecrantes, & illorum reſponſiones, quas fuſiùs proſequi nobis decretum eſt, vt vſum Azymi etiam ab ipſius Eccleſię incunabulis viguiſſe, imò ab ipſo Chriſto Saluatore noſtro Sanctiſſimam Euchariſtiam in Azymo inſtitutam fuiſſe noſcatur.

Ra-

Rationes autem, quæ à Græcis afferebantur, infraſcriptæ ſunt, quas ferè prout Anonymus refert tranſcribo. Primò, quod Dominus noſter, qui in ſui memoriam hoc fieri mandauit: non in Azymo, ſed Fermentato Pane tradidit Diſcipulis ſuis. Conſtat enim, quod ſecundum legem Moyſi, quarta decima Luna fiebat immolatio Agni, & eſus Azymorum, ſicut ſcriptum eſt Leuit. 23. quæ dies Paſcha propriè vocabatur, ſed Dominus iuxta Euangelium Ioannis: *Ante diem Feſtum Paſchæ.* Celebrauit Cœnam cum Diſcipulis ſuis, & Myſterium Corporis, & Sanguinis ſui tradidit. Si in tali die, quæ erat tertia decima Luna, celebrauit Paſcha, tunc vtebantur Fermento: Ergo de Fermento tradidit corpus ſuum.

Item. *Non introierunt Prætorium, vt non contaminarentur, ſed manducarent Paſcha.* Sed tunc fuit Luna quarta decima. Ergo in præcedenti fuit Luna tertia decima, quando Dominus tradidit Corpus ſuum. Præterea, cùm Euangeliſta de materia illius Panis faceret mentionem, non dixit: IESVS accepit Azyma: ſed accipiens IESVS ἄρτον & ἄρτος ſupponit pro fermentato.

Inſupèr, cùm ſcriptum ſit, quod ſtando, & cum lactucis agreſtibus, & feſtinando deberet comedi Agnus Paſchalis: nullum tale quid in Euangelio reperitur. Vnde conſtat, quod illa cœna non fuit Paſ-

cha

cha Iudæorum, ſed potiùs Cœna, & Paſcha Chriſtianorum, non cum Azymis, ſed cum Fermentato Pane, quòd ſignificat Chriſti perfectionem, fuit celebratum. Nam Chriſtus Dominus noſter duas naturas in vnam Perſonam ſibi vniuit, & ſicut Diuina eſt ſimpliciſſima, ita humana ex Anima & Corpore, ſiue Carne, compoſita eſt.

Itaque ſicut in Chriſto fuit, & eſt Diuinitas, Anima, & Corpus: ita in Myſterio Sacramenti noſtri, quod ex perfecto Pane, id eſt fermentato perficitur, ſimiliter tria reperiuntur, ſcilicet forma, Fermentum, & Aqua. Veſtrum autem Sacramentum non ſolùm non eſt verum Sacramentum, ſed nec Sacramentum quidem, quod tantum diſcrepat à veritate. Hæ ſunt rationes quas in eorum libris Anonymus inueniſſe ſe aſſerit, & ab ore ipſorum in diſputationibus accepiſſe.

Ad Obiecta Græcorum Reſponſio.

AD primum autem ſic idem Anonymus: vel celebrauit Dominus Paſcha tempore, & modo debito, aut non: ſi dicant non celebraſſe, contra eos eſt Ioannes Chryſoſtomus, qui Homilia 84. ſuper Matthæum ait. *Non enim Chriſtus tranſgreditur Paſchæ tempus, ſed Iudæi, qui omnia præſumunt, Chriſtum conculcant, & Leges, quia diligen-*

genter ſeruebant furore, & ſæpè conantes interficere, non valuerunt, tunc accipientes ipſum exinſperato, voluerunt etiam Paſcha dimittere pro homicida ſua voluntate implenda, propter quod congregati ſunt omnes &c.

Idem ſuper Ioannem: *Non ergo aliter opinantibus viſum eſt, Dominus Saluator (qui & ipſe ait,* Non veni ſoluere legem, ſed adimplere) *Paſcha anticipauit, ſed tempore, & modo debito cuncta conſummauit*. Celebrauit igitur Dominus Paſcha cum Diſcipulis ſuis, ſicut Euangeliſta teſtatur, quando celebrandum fuit cum Azymis, & Agno immaculato, vt in lege ſcriptum eſt.

Item Theophilactus Bulgariæ Epiſcopus illud exponens, quod legitur ad Corinthios: *Conuenientibus vobis in vnum &c.* ita dicit: Non poſſum non contendere quando ipſe Dominus corpus ſuum ex Pane, quem habebat, ſcilicet Azymo, cùm dies eſſent Azymorum, tradidit diſcipulis ſuis (ſi ſecundùm Euangelia, & Sanctorum Patrum ſententias celebrauit Dominus tempore debito Paſchæ) vnde tunc Fermentatus apparuit contra Legem? Sicut enimſcriptum eſt in Exo. 12. *Septem diebus Fermentatum non apparebit in domibus veſtris*. Quòd ſi credimus verbo veritatis dicenti: *Non veni ſoluere legem &c.* Credendum eſt, & prædicandum, Dominum IESVM nec vnum Iota; nec vnum apicem

Legis præterijſſe, & vt totius tranſgreſſionis immunem, dixiſſe inſidiatoribus ſuis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Alioqui nec peccata multorum tuliſſet, nec pro tranſgreſſoribus oraſſet, vt non perirent, nec pro nobis paſſus, ſed pro præuaricatione *iuſtè punitus fuiſſet*: Præſertim non quòd ſolùm tranſgreſſor legis inuentus eſſet, Fermentato apud ſe reperto, ſed inſuper multos Diſcipulos reos mortis effeciſſet, cibans eos Fermentato, & iniuria Diuinam Legem, quod eſt impoſſibile, afficiens.

Vnde quanuis Principes Sacerdotum falſum teſtimonium quæſijſſent aduersùs eum, vt eum morti traderent, nullum tamen tale quid obiecerunt, quale Græci nunc obijciunt. Quod ſi fuiſſet objectum, ſolùm ſuffeciſſet ad perdendum eum. Nec Pilato dicente: *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum*, dixiſſent, *non licet nobis interficere quemquam*, quia ipſum præcepto legis interfeciſſent Fermentati participem, & dixiſſent: *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori*, quia Fermentatum comedit in Paſcha, aut certè apud eum apparuit.

Sed fortè dicit Græcus: Non in publico, ſed in occulto hoc egit. Abſit, quia non ſolùm de factis ſuis, ſed etiam de dictis ait ipſi ſummo Pontifici: *Ego palàm loquutus ſum mundo, & in abſcondito loquutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos*

qui

qui audiuerunt. Sed etiam numquid Dominum domûs, in qua Paſcha celebrauit, latuit? aut certè ſi ipſe conſenſit, numquid & Iudam complicem malignorum latere potuit? Qui iuxta Pſalmiſtæ vocem, *Dux meus, & notus meus* vocatur, præſertim cùm fuerit diſpenſator, quem Dominus dilecto ſuo Ioanni demonſtrans, ait: *Ipſe eſt, cui intinctum panem porrexero; & qui mecum intingit manum in paropſide, hic me tradet*. Quod ſi ita eſt, quæ res prohibuit infelicem Iudam de memorato Fermento ipſum prodere Sanguinem iuſtum palàm, quem omnibus modis quærebat prodere clam? aut quid neceſſe habuit dicere: *Peccaui tradens Sanguinem iuſtum*. Cùm tradendo tranſgreſſorem legis, auertit à ſe, & à populo furorem Domini, & gratiam promeruit. Sicut enim ſcriptum eſt in Deuteronomio: *Si Propheta quilibet, aut filius tuus, aut filia, ſeu vxor, & amicus, quem diligis vt animam tuam, voluère clam perſuadere tibi, vt auertaris à cæremonijs Legis; non acquieſcas eis, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, nec miſerearis, & occultes eum, & ſtatim prodito populo interficies, vt auertatur Dominus ab ira furoris ſui, & miſereatur tui, multiplicetque te &c.*

Sed inſtant Græci: *Si creditur omnipotens, potuit vtique Fermentatum vndecunque exhibere, aut certè ipſum Azymum benedicendo fermentare*. Quod

quàm ſit ineptum, nemo eſt, qui non intelligat, quia quocunq; modo apud eum in ipſa ſolennitate Fermentatum apparuiſſet, legis tranſgreſſio fieret, & planè dignus puniri, qui in ſanctæ Legis contumeliam Fermentatum tractaſſet, Sed etſi quolibet modo tantum miraculum factum fuiſſet, aliquis Euangeliſtarum narraſſet, cùm etiam quædam minima, nec narratione adeò digna, vt de contentione Diſcipulorum diligenter fuerint enarrata. Omnes ergo tam obſtinato ſilentio reticuerunt neceſſarij ſacramenti initium, quod totius Eccleſiæ exiſtit fundamentum. Vnde quamuis ſit omnipotens, iſtud facere non potuit, quia noluit. Quare noluit? Quia tranſgredi legem noluit. Vnde: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Quod autem omnipotentia ſua ligetur ratione neceſſaria, & vtili, probatur per Euangeliſtam Matthæum, ſic de Chriſti Patria dicentem: *Non potuit ibi virtutes multas facere propter incredulitatem eorum.*

Reſponſio ad Auctoritatem Ioannis.

AD Secundam ex Ioanne obiectionem: *Ipſi non introierunt &c.* Reſpondet, Paſcha multipliciter accipi. Aliquando enim pro die immolationis, vt Leuitici: *Decimo quarto die menſis ad veſperas Paſcha Domini eſt*: & ex Matthæo: *ſcitis quia*

poſt

poſt biduum Paſcha fiet. Aliquando pro Agno immolato, vt: *Vnde vis paremus tibi Paſcha?* Quandoque autem pro die Azymorum, ſicut ex actibus Apoſtolorum de Petro deducitur: *Volens poſt Paſcha producere eum Populo, erant enim dies Azymorum.* Interdum verò pro panibus Azymis, ſicut ibi: *Non introierunt in Prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha*, id eſt, Panes Azymos. Vnde licet Dominus dixiſſet Diſcipulis: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet &c.* attamen Matthæus mentionem faciens ipſius diei, in cuius veſpera Paſcha fiebat, ait: *Primo die Azymorum acceſſerunt Diſcipuli &c.* Cui aſſentitur Marcus, *erat autem Paſcha, & Azyma poſt biduum.* Et paulò poſt: *Prima die Azymorum quando Paſcha immolabant &c.* Si ergo Paſcha & Azyma non accipienda eſſent, vt interdum Paſcha pro feſto Azymorum, interdum verò Azymorum feſtum pro Paſcha intelligendum eſſet; quomodo ſubſiſtet: *Erat Paſcha & Azyma poſt biduum?* Sed Lucas Hæreſis controuerſiam ſoluens, ait: *Appropinquabat dies Azymorum, qui dicitur Paſcha.* & quia reliquos dies Azymorum cum eo qui propriè Paſcha dicebatur, longo abuſu confundebant, eos etiam Paſcha nuncupantes; qui dies intelligi debeat, inferiùs oſtendit, dicens: *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Quod procul dubio

in

in Luna decima quarta ad veſperam fiebat, quando occidebatur Agnus, qui etiam Paſcha vocabatur, vt docet Euangeliſta, vbi ait, in ipſo Paſchate occidendum eſſe.

Porrò, quomodo intelligendum ſit, quod ait: *vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha*, Poſt pauca denotat: *Erat autem Paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta.* Paraſceue enim Paſchę, pręparatio Paſchæ interpretatur, quando iam præparabatur, & inſtabat celebritas diei magni Sabbati, qui ſolennior omnibus diebus Paſchalibus apud Iudæos colebatur; adeò vt eius obſeruantia Ethnici hominis cohabitatione, quaſi introitu Prætorij, contaminaretur. Igitur, ne in cruce remanerent corpora in Sabbato, rogârunt Pilatum vt tollerentur. Paſcha igitur vt auctoritas præmiſſa teſtatur, pro Azymis accipitur: quod ſi, vbi neceſſe eſt, concedatur, aduerſariorum obiectio omnino corruit.

Tertiæ Obiectionis ſolutio.

AD tertiam, ſcilicet, quod ἄρτος ſupponit pro Fermentato, Reſpondet, multum à veritate diſcedere: quia ἄρτος in Sacra Scriptura non ſolùm pro Fermentato, ſed pro quolibet Pane ſumitur: ſcripſit enim Lucas, quod cùm Dominus peregrini formâ apparuiſſet, coactus fuit à duobus Diſcipulis, vt

diſ-

Digitized by Google

diſcumberet. Et deinde, *Accipit* ἄρτον, *& benedixit* &c. Sed hęc facta fuiſſe conſtat in die reſurrectionis, hoc eſt in die Azymorum, quæ ſecundum legem per ſeptem dies durabant, in quibus non ſolùm comedere, ſed etiam domibus, aut in finibus illis Panem Fermentatum habere, nefas erat: liquet igitur Panem illum, qui à Græcis dicitur ἄρτος, minimè Fermentatum fuiſſe, ſed Azymum: proptereaque ἄρτον pro Azymo ſupponere.

Hoc itidem ex Leuitico deducitur, vbi à Moyſe de Panibus Propoſitionis fit mentio, quos Azymos fuiſſe, è lege apparet: Item vbi ait: *Comedetis Panes Azymos cum lactucis agreſtibus*, legit Græcus: *comedetis* ἄρτον. Et in Sapientia; vbi de Pane Cœleſti, id eſt, Manna, ſermo fit, *Paratum de Cœlo &c.* In Græco legitur ἄρτον. Nec non in Pſalmis, vbi nos dicimus *Panem Angelorum*, Græcus, ἄρτον ἀγγέλων. Denique vt alia prętercam, Salomon: *Suauis eſt Panis mendacij*. E quibus manifeſtum, hoc nomen *Panis* indifferenter accipi, modò ſcilicet pro Azymo, modò pro Fermentato.

Inſtat Græcus: vmbræ correſpondere veritas debet; ſed ſi quartâ decimâ Lunâ ad veſperam Agnus Typicus immolabatur; in die Paraſceue erat Luna quarta decima, quia quartâ decimâ Lunâ immolatus fuit Agnus verus: Igitur in feria quinta præcedent fuit tertia decima; & tunc fecit Chriſtus Paſcha

ſuum,

Nota locum hunc eſſe mendoſum. ſuum, ergo Chriſtus comedit Azyma . . . . Paſcha.

Verùm peropportunè veritas vmbræ reſpondet: in Paſchate enim Typico, duo inueniebantur, ſcilicet Agni immolatio, & comeſtio. Agnus Typicus Lunâ quartâ decimâ immolabatur, & immolatio veri Agni Lunâ decimâ quartâ qua captus eſt Dominus, inchoata eſt, & immolatio reſpondet immolationi, comeſtio quoque comeſtioni directè reſpondet, nam Agnus Typicus quartâ decimâ Lunâ comedebatur, qua Dominus Diſcipulis ſuis Corpus ſuum dedit.

Si autem offeratur, quod Mulieres parauerant aromata, quod in die feſto nullatenus feciſſent: reſpondebitur, quod opera miſericordiæ minimè prohibebantur, ſed tantùm ſeruilia; ſicut de Magdalena Dominus dixit: *Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud*. Item in die Sabbati circumcidere licebat; ſiquidem hoc opus erat ſpirituale, non autem ſeruile, vt dicitur Matthæi 12. *Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant, & ſine crimine ſunt*.

Si verò obijciant de die Sabbati: *quia erat magna illa dies*, dicendum eſse opinatur, quod dies Sabbati magnus vocabatur, quia Sabbati erat, & inſuper Azymorum feſtum, non autem quia eſset primus Azymorum: nam omnes ij ſeptem dies magni quidem

dem erant, primus tamen, & vltimus, maiores habebantur. Hic nempe magnus dicebatur, quia vti diximus, duo concurrebant, ſubiectum ſcilicet, & Azymorum feſtum: hoc eſt, vna dies è ſeptem diebus. Verùm de illo, quod Iudæi clamauerunt: *Non in die feſto*, ſequi videretur minimè feſtum fuiſſe, quando Crucifixus eſt Dominus, ſed huic argumento reſpondet Anonymus, quod quamuis clamauerint, tamen, tanquam legis tranſgreſſores contra ſe operati ſunt. Igitur prima die Azymorum, quæ erat dies feſta, Chriſtum occidi fecerunt. Nolo hîc ſub ſilentio præterire obſeruationem, quam fecit Reuerendiſſimus Pater Magiſter Angelus Iulianus contra Hæreticam prauitatem nuper Genuæ Inquiſitor, Prædicatorum ordinis decus, cùm ob eximiam tam ſacræ, quàm profanæ Hiſtoriæ eruditionem, tum etiam ob Latinę, Gręcęq; linguę peritiam, occaſione qua, quadam die de hac Azymi, & Fermentati quæſtione cum eodem ſermonem haberem, animaduertiſſe ſe dixit locum illum: *Comedetis Panes Azymos cum Lactucis agreſtibus* (quæ tamen verba non in Leuitico, vt inquit Anonymus, ſed in Exodo cap. 12. n. 8. reperiuntur) nihil probare, nam in hoc textu allato ſolùm legit Græcus ἄζυμα abſq; hac voce ἄρτος ac proinde non poſſe deduci, hanc vocem ἄρτος Azymis conuenire. Verùm ad ea, quę diximus confirmanda alius textus adduci poteſt Leuit.

cap. 2. n. 4. vbi pro: *Panes Azymos*, legit Græcus: ἄρτους ἀζύμους, qui locus omnium validiſſimus eſt ad probandum vocem ἄρτον indifferentem eſſe ad Fermentatum, & Azymum. Si enim hoc ita non eſſet, quomodo ἄρτος coniungeretur cum τῷ ἀζύμῳ? & ſi ἄρτος, vt volunt Græci, ſolùm Panem Fermentatum deſignat, quomodo ei adiungi potuiſſet τὸ ἄζυμος? Certè id nimis improprium eſſet, neque dici vmquam poſſet ἄρτους ἀζύμους vt eſt in textu. Dicendum igitur eſt τὸ ἄρτος tam Azymo, quàm Fermentato conuenire. Porrò in hac præclari huius viri ſententia referenda, Pliniani effati in præfatione ad ſuos Hiſtoriæ Naturalis libros, memor fui, vbi inquit: *Eſt benignum, & plenum ingenui pudoris fateri, per quos profeceris*. Quod documentum vbique in operibus noſtris memoriæ nobis, ac cordi erit.

Vltimæ obiectionis ſolutio.

AD vltimum, quod obijcitur, nempe, in Chriſto tria eſſe, Corpus ſcilicet, Animam, & Diuinitatem, quæ omnia per Fermentatum myſticè denotantur. Si hæc riſu digna reſponſionem merentur, dicemus (ait) quod præter illa tria, aliæ duæ proprietates in Fermento aſſignari poſſent; ſiquidem in Fermento Sal eſt, Aqua, & Ignis, ſine quo Panis nunquam ad ſuum eſſe peruenire poteſt.

Ac

Digitized by Google

Ac proinde non triplex conditio, vt illi aſſignant, in Pane Fermentato inuenitur, ſed quadruplex, & quintuplex.

In noſtro verò Sacramento, in quo nihil ſuperfluit, etiam ſecundùm ſignificationes ſuas, tria tantùm reperiuntur, ſcilicet Farina, Aqua, & Ignis, per quem Farina, & Aqua vniuntur, & copulantur. Farina carnem denotat, animam Aqua, Ignis verò Diuinitatem, quæ vtraque in vnitatem Perſonæ aſsumpſit. Sed quorſum hæc? Audiant Græci quæ B. Gregorius in Dial. loquutus fuerit Grȩco ſermone, cùm in Græcia legatione fungeretur, dicit enim: *Solet planè moueri quæſtio, quod in Eccleſia alij Fermentatum offerunt, alij Panes Azymos. Eſſe namque Eccleſiam diſtinctam quatuor ordinibus nouimus, ſcilicet Romanorum, Alexandrinorum, Hieroſolymitanorum, & Antiochenorum: Quæ Eccleſiæ generaliter nuncupantur, cùm vnam teneant Catholicam Fidem, diuerſis tamen vtuntur officiorum Myſterijs. Vnde fit, vt Romana Eccleſia offerat Panes Azymos, propter quod Deus ſine vlla commiſtione Carnem ſuſcepit. Scriptum eſt:* Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis. *Sic ergo Pane Azymo efficitur Corpus Chriſti. Nam Ceteræ ſupradictæ Eccleſiæ offerunt Fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum eſt Carne, & eſt verus homo, ita quod Fermentatum commiſceatur Farinâ, & efficiatur Corpus*

Domini noſtri IESV CHRISTI verum. Sed tam Romana Eccleſia, quàm prædictæ pro ineffabili myſterio, tam Fermentatum, quàm Azymum, dum ſumimus, vnum Corpus Saluatoris noſtri efficitur. Hæc ſunt Gregorij verba, quæ in ipſius vita Græco ſermone (dicit Anonymus) reperiuntur.

Liceat hîc mihi antequam vlteriùs progrediar, quandam erroris nubeculam in Anonymo annotare, ne aliquâ minus accurati animi notâ inurar. Dixit enim paulò ſuperiùs Sanctum Gregorium in Dialogis, cùm in Græcia legatione fungeretur, Græco ſermone loquutum fuiſſe. Pace tamen illius cæteroqui eruditi viri, de hac re contrarium reperimus. Photius enim in ſua Bibliotheca ad Cod. 252. de Gregorio Magno ſic loquitur: *Quin etiam vitas eorum, qui in Italia clari eſſent, ſalubribus admiſtis narrationibus quatuor Dialogis concinnauit. Et enim centum, & ſexaginta quinque annis ij, qui Latinam linguam ignorarent, ſoli vtilitate huius operis fruſtrati ſunt. Zacarias verò, qui huius ſancti Viri, poſt illud tempus ſucceſſor fuit, cognitionem, vtilitatemq; in Italia concluſam, in Græcam linguam vertens, communem vtilitatem Orbi terrarum benignè exhibuit.* Id confirmatur ex ipſiuſmet Gregorij Epiſtola 27. lib. 6. indictione 15. vbi quibuſdam Conſtantinopoli commorantibus, ac ab eodem Gregorio petentibus, vt ad eos interdum ſcriberet, eoſ-

que

que aliquid de anima ſua admoneret; Gregorius id ſe non facturum reſpondit, quia in Conſtantinopolitana Ciuitate non eſſent qui Græcum in Latinum, & Latinum in Græcum ſermonem benè transferrent, ac ideò breuiter ipſe ſcripſit. Id quoque abſque vlla dubitatione legitur in alia eiuſdem Pontificis Epiſtola in ordine 69. lib. 9. indictione 4. vbi ſic: *Nam nos nec Græcum nouimus, nec aliquod opus aliquando Græcè conſcripſimus.* Quid clariùs? Non negamus tamen Legationis munus in Græcia obijſſe, cùm Paulus Diaconus in eius vita id expreſsè dicat, ibi enim: *Denique* (ait) *cernens Romanus Pontifex* (id eſt Palagius II.) *qui tunc Eccleſiæ præerat, virtutum gradibus Gregorium ad alta conſcendere, eum à Monaſterio abſtractum, Eccleſiaſtici Ordinis officio ſublimauit, Leuitamque ſeptimum ad ſuum adiutorium aſſumpſit. Nec multò poſt pro reſponſis Eccleſiaſticis ad Vrbem Conſtantinopolim Apocriſarium direxit.* At hæc breuiter notaſſe ſufficiat, redeamus modò ad Anonymum, qui ſic proſequitur.

Et Ioannes Chryſoſtomus, vt huiuſmodi controuerſiam radicitus extirparet, in Epiſtola ad Græcos de Sacramento, alijſque Latinorum conſuetudinibus dubitantes ſcripta, hæc ait: *Volentibus nobis aliquid dicere de Sacra Communione, vtrum ex Azymo, vel Fermentato in Sacra Dominica Cœna facta fue-*

fuerit: longioris temporis, & etiam perfectioris ſcriptoris indigemus ſpatio. Sed multis omiſſis, id quod vtile, & pacificum eſt, immò, vt ita dicam, quod magis eſt ſecundùm diſpenſationem, & neceſſarium, & quod magis continet veritatem, dicendum eſt. Panis antequam conſecretur, & conficiatur, ſiue Azymus, ſiue Fermentatus fuerit, indifferenter Panis eſt, & dicitur ſacris eloquijs, prout poſtmodum oſtendemus. Poſtquam conſecratus fuerit, neque Azymus, neque Fermentatus dicitur, vel eſt, ſed Corpus, & caro Domini, eadem nec alia, quàm quæ ab incorrupta Virgine à Verbo Dei aſſumpta, & in dextra collocata, à nobis Orthodoxis, & Catholicis myſticè ſumitur. Propter quod, & Myſterium, hoc eſt abſconditum nominatur. Et ideò nonnullis eſt incomprehenſibile boc Sacramentum; tranſmutatur autem diuinâ virtute à Spiritu Sancto in Corpus, & Sanguinem IESV CHRISTI ſecundùm quod ipſa ſacra ſecreta indicant, & etiam manifeſtant. Dicimus enim: Te rogamus Sancte Sanctorum, vt beneplacito tuæ bonitatis veniat Spiritus Sanctus tuus ſuper nos, & ſuper hæc omnia tua dona ſiue munera, & benedicat, & ſanctificet, & oſtendat quidem hunc Panem ipſum pretioſum Corpus Domini, & Dei Saluatoris noſtri IESV CHRISTI.

Si ergo Diuina Virtus, ſiue Deus propoſita dona tranſmutat in Corpus, & Sanguinem IESV CHRISTI,

STI, ſuperuacuum eſt contendere, vtrum ex Azymis, ſiue Fermentatis fuerit; ſiue album, ſiue rubeum Vinum; & huiuſmodi quaſdam curioſitates de hiſce tremendis Myſterijs perſcrutari: hucuſque de Azymo Anonymus.

Nos autem breui compendio maximam Azymorum controuerſiam perſtrinximus, & quonam tempore initium ſumpſerit, rationeſque ex vtraque parte allegatas adduximus, ex quibus omnibus Lector arguet; Grçcos in hac Azymorum materia, toto, vt aiunt, Cœlo aberraſſe; plura etiam quæ ad Azyma pertinerent allegare poſſemus, ni breuitati conſulere cordi eſſet. Verùm vt ijs gratum feciſſe videamur, qui temporis vſuræ ſtudent, & alienis laboribus gaudent, hîc illorum catalogum referemus, quos eadem de hac re ſcipſiſſe meminimus, vſque ad Concilium Florentinum, in quo concordia Græcorum cum Latina Eccleſia inita fuit; hi autem ſunt.

Iuo Carnotenſis *De rebus Eccleſiaſticis Crit. de Conuenientia veteris, & noui Sacrificij.* Obijt circa annum 1115.

Algerius *De Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini* lib. 2. cap. 10. viuebat circa annum 1130.

Rupertus, aliàs Robertus Abbas Tuitienſis *De Diuinis Officijs* lib. 2. cap. 22. Contemporaneus Algerij.

Hil-

Digitized by Google

Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus in ſuis Carminibus *De Myſterio Miſſæ*, vbi agit de offertorio, fuit etiam contemporaneus Algerij, ſcilicet 1124.

Honorius Auguſtodunenſis in *Gemma animæ ſiue de antiquo ritu Miſſarum* lib. 1. cap. 31. & cap. 66. prædictorum contemporaneus, floruit anno 1124.

Hugo Eterianus, ſiue Tuſcus *De Hæreſibus* cap. 17. Scripſit circa finem ſæculi XII.

Iacobus Cardinalis de Vitriaco in *Hiſtoria Orientalis Eccleſiæ*, floruit de anno 1240.

Manuel Caleca lib. 4. *Contra Græcos*. Titulo *De Azymis*. Viuebat, vt aliqui putant circa annum 1270.

Barlaamus de Seminaria, Epiſcopus Hieracenſis in *Epiſtola ad Amicos ſuos in Græcia conſtitutos de vnione Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ*. Opellam hanc exarauit circa annum 1303.

Radulphus Decanus Tungrenſis cap. 23. circa medium, obijt anno 1403.

Gennadius Scholarius, qui interfuit Concilio Florentino anno 1438. & deinde factus Patriarcha Conſtantinopolitanus. In *Expoſitione pro eodem Concilio Florentino* cap. 2. Seſſione 1. & 7.

CAP-

CAPVT SECVNDVM.

Qualis Panis apud Ethnicos Romanos tempore primitiuæ Eccleſiæ vſitatus fuerit, Azymus nè, an Fermentatus?

QVIA Catholica Eccleſia in hac alma Vrbe Principem Cathedram tenuit, & tenet, propterea quod Sanctus Petrus in ea Sedem fixit, non incongruum fore ducimus, ſi primo loco exponamus, qualis nam Panis in vſu fuerit apud Ethnicos Romanos, in primis ipſiuſmet Eccleſiæ Romanæ ſæculis, cùm plurimum hæc inſpectio conducere poſſit ad oſtendendum, cognoſcendumque, qualis Panis apud Chriſtianos eiſdem temporibus etiam Romæ vſitatus fuerit.

Si fides Hiſtoriæ ſit adhibenda, Panis vſum apud Romanos per multa ſæcula incognitum fuiſſe, teſtantur Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. Plinius lib. 18. cap. 11. *Nam Piſtores Romæ non fuerunt, niſi ad Perſicum bellum annis ab Vrbe condita ſuper DLXXX.* nempe ante aduentum Chriſti CLXXIII. victitabat enim Romanus Populus pulte, quæ ex

E Fru-

Frumenti, ſeu fabarum, aut hordei Farina, & Aqua fiebat. Poſtea verò varia Panis genera Græca luxuries introduxit, quorum nomina, & qualitates Athenæus recenſet: ſed hìc tantummodo de Pane triticeo ſermo habendus eſt, quem Plinius lib. 19. cap. 4. in nonnullas ſpecies diſtinguit. *Alio* (inquit) *Pane Procerum, alio vulgi, tot generibus vſque ad infimam plebem deſcendente Annonâ*.

In prima igitur ſpecie à Plinio relatâ ponendus videtur Panis Siligineus, qui ex polline fit. In ſecunda Similaceus, ſeu Similagineus, qui medius eſt inter pollinem, ſiue florem ipſius Farinæ, & furfures. In tertia eſt Confuſaneus, cui nihil vel floris, vel furfuris ſit detractum. In quarta Furfuraceus, qui furfuris plurimum, Farinæ verò exiguum habet, quæ ſpecies à Plauto *Panis ſordidus*, denominatur. Iſtæ autem ſpecies, etſi aliæ adſint, tam cum Fermento, quàm ſine illo conficiuntur. Quare Panis Zymites, & Azymus vocitatur, id eſt *Fermentatus*, & *expers Fermenti*. Quænam autem iſtius modi Panis ſpecierum magis enutriat, recenſet Hyppocrates Medicorum maximus, qui pene duobus ſæculis ante aduentum Chriſti, vitam traduxit. Hic enim claſs. 3. lib. 2. de Dieta: *Panis* (ait) *ex tota Farina collata ſiccat, & per aluum ſecedit. Purus autem magis nutrit, minus verò ſecedit. Ex ipſis porrò Panibus, Fermentatus*

qui-

quidem leuis eſt, & ſecedit. (Et leuis quidem eſt, quia à Fermenti acore humiditas conſumpta eſt, quæ ſanè alimentum exiſtit: ſecedit autem, quia citò concoquitur) Non Fermentatus ſecedit quidem minus, nutrit autem magis. Qui ſucco ſubactus eſt, leuior eſt, & multum nutrit, ac per aluum ſecedit. Nutrit, quia purus eſt: Leuis eſt quia leuiſſimè ſubactus eſt, & Fermentatus, ac toſtus ab eodem eſt: per aluum ſecedit, quia paſſo, & aluum mouente Tritici parte, permixtus eſt &c.

Quia verò qualis apud Romanos fuerit Panis vſus, oſtendere noſtrum eſt, afferam quidquid de Pane ſcripſit Cornelius Celſus, qui Romæ Medicinam ſub Auguſto, aut Tiberio Cæſare profeſſus eſt.

Porrò is lib. 2. cap. 18. *Firmius eſt* (inquit) *triticum, quàm milium, id ipſum quàm hordeum, & ex tritico firmiſſima ſiligo; deinde ſimila, deinde cui nihil ademptum eſt (quod* αὐτόπυρον *Græci vocant) infirmior eſt, ex polline infirmiſſimus cibarius Panis.* Et cap. 24. referens, quæ res ſtomacho idoneæ ſint, ait: *Quæcunque auſtera ſunt, etiam quæ acida ſunt, quæque contacta ſale modico ſunt. Item Panis ſine Fermento*, & cap. ſequenti. 25. enarrat ſtomacho res alienas, inter quas Panem Fermentatum connumerat. Et cap. 28. deſcribens res, quæ facilè corrumpuntur, dicit,

Quod *Intus facilè corrumpuntur Panis Fermentatus, & quiſquis alius quàm ex tritico eſt*. In ſequenti verò Capite demonſtrat, quod Panis Fermentatus, magiſque ſi cibarius, vel hordeaceus ſit, aluum mouet. Denique in 30. Capite, quod Panis ex ſiligine, vel ex ſimila, magis ſi ſine Fermento ſit, aluum aſtringit.

Plinius verò ſupra relatus dicto lib. 18. cap. 11. ait: *Validiora eſſe corpora, quæ Fermentato Pane alantur*.

Poſt Plinium autem Galenus, qui vixit Traiano Imperante videlicet circa initium ſecundi ſæculi, in lib. 1. *de aliment. facult.* cap. 2. *de tritico*, materiam eius examinans, ait: *Hæc* (ideſt tritica) *Furfuris habent plurimum: & ſi quis poſtea quàm molita ſunt, tenuiſſimâ Farinâ excuſſâ, ex reliquo Panes, quos* Πιτυρίας, *ideſt furfuraceos appellant, fecerit, parum quidem ipſos alere, ventrem verò multis excrementis implere experietur, ob eamque cauſam facilè etiam ſubſidere: Præterea quòd furfur non nihil facultatis habet deterſoriæ, meritò inteſtinis irritatis, celeris eorum ſit deiectio. His autem contrarij quidem ſunt Panes puriſſimi, plurimum ponderis exiguâ mole habentes, omnium verò Panum tardiſſimè deijciuntur. Videbis ſanè illorum maſſam admodum lentam, ita vt quàm longiſſimè indiuulſa trahatur: quod*

cor-

Digitized by Google

corporis lenti eſt proprium. Meritò igitur ij quidem, & Fermento copioſiore indigent: omniumque maximè ſubigere eos oportet, nec ſtatim poſt Fermentum, & ſubactionem aſſare: Furfuraceis verò paucum Fermentum, & lenis ſubactio, breueque interuallum ſufficit. Pari modo, qui puri ſunt, aſſationem diuturniorem, Furfuracei breuiorem poſtulant. Porrò non pauca eſt inter puriſſimos, ac ſordidiſſimos, minoris, maiorisque rationis latitudo, cùm alios quidem puros, alios ſordidos, & vocemus, & reuera ſint. Eſt autem & alia Panum ſpecies, inter hos planè media, quos Αὐτοπύρους *appellant: Medici autem veteres ipſos nominabant* Συγκομιστούς; *Cæterum, quod hi fiant ex Farina ſecretionis experte, furfure ſcilicet à pura Farina non ſeparato, omnibus ideſt perſpicuum: Illinc enim nomina ipſis indiderunt,* Αὐτοπύρους *quidem, quòd* ὅλος αὐτὸς ὁ Πυρός, *ideſt totum ipſum triticum nullâ ſui parte ademptâ in panificium cedat:* Συγκομιστοὺς *autem, quòd ad ipſos conficiendos tota Farina nuſquam à furfure ſeiuncta* Συγκομίζηται, *hoc eſt, comportetur, verùm, & inter hos ipſos, qui ad vnguem medij inter Furfureos, & quam puriſſimos Panes eſſe videntur, non parua eſt pro tritici natura differentia: ſiquidem ex denſo, ac graui tritico præſtantiores; ex laxo autem, & leui Panes fiunt deteriores. Et apud Romanos quidem,*

dem, vt & apud alios propemodum omnes, quibus ipſi imperant, Panis quidem puriſſimus Σιλιγνίτης *ideſt Siligineus: qui autem huic eſt proximus* Σεμιδαλίτης, *ideſt Similaceus nuncupatur; verùm* Σεμίδαλις *quidem, Græcum nomen eſt, & antiquum:* Σιλίγνις *verò neque Græcum eſt, neque ipſum aliter poſſum exprimere. Inter Panes igitur, Siligineus plurimum alimentum præſtat; poſt ipſum autem Similaceus; tertio loco medius, qui &* Συγκομιστός, *&* Αὐτόπυρος *dicitur; quartum poſt hunc eſt ſordidorum genus; in quibus Furfureus eſt poſtremus, minimumque omnium nutrit, & omnium maximè per aluum ſubſidet. Concoctu autem inter Panes ſunt facillimi, qui plurimum ſunt Fermentati, & pulcherrimè ſubacti, quique in clibano, igne moderato fuerunt aſſati.* Exinde oſtendit ignis operationem in Panem, ſubiungitque: *Ita Panum quoque is Athletæ quidem eſt accomodus, qui neque belliſſimè eſt aſſatus: neque multum habet Fermenti: priuato autem, & ſeni, qui belliſſimè quidem in clibano eſt aſſatus, Fermenti autem habet multum. Porrò qui Fermento omnino caret, nemini prorſus eſt accomodus. Quòd ſi caſei inſuper aliquid addatur (vt Ruſtici apud nos feſtis diebus ſolent apparare, eoſque Panes ipſi vocant* Ἀζύμους *ideſt Fermenti expertes) eiuſmodi promptè omnes læduntur, etiamſi qui fortiſſimo ſint corporis habitu:*

cuius

cuiuſmodi ſunt meſſorum, ac foſſorum robuſtiſſimi:
Ab his namque faciliùs confici videas Panes Ἀζύμους,
vt bubulam etiam, ac hircinam, quàm à grauibus
Athletis.

Ab hac ſententia videtur recedere Archigenes Traiani Imperatoris Archiater apud eundem Galenum: *De compoſit. medicament.* Claſſ. 5. Lib. 8. Cap. 4. de affectionibus circa ſtomachum, vbi: *Panis* (inquit) *ſit ſummè tamen Fermentatus, aut penitùs abſque fermento præparatus.* Notanda ſunt hæc verba: *Aut penitùs abſque fermento præparatus.* Quorum ad intelligentiam alios conſulere neceſſe eſt, qui Panis meminerint, quibus in recenſendis ſic diſſero. Romanus Populus vel à potentiæ, maieſtatiſque ſuæ incunabulis pronus in arma fuit, atque adeò peculiariter ſtuduit, homines pauco victu, duráque viuendi conſuetudine educare, vt ea, quæ ſecum afferre militia ſolet incommoda, alacriùs, faciliùſque paterentur: quod plurium ſcriptorum veterum teſtimonijs, & auctoritatibus docet Eruditiſſimus Lipſius *De Militia Romana* Dialogo XI. vbi clarè oſtendit, onera, quæ milites in expeditionibus ferre ſolebant, inter quæ Frumentum enumerat, quod ad dimidium, quandoque etiam ad totius menſis victum ferri oportebat. In Dialogo verò XVI. eiuſdem libri declarat, Romanos milites curioſè, & à profeſſo opifice

Pa-

Panem coctum ſumere noluiſſe, ſed ſubitaneum, & quem ſuâ manu Miles paraſſet. Imò non ſolùm miles, ſed etiam ingenui, & Ciues, quin ipſemet Imperator id obſeruabat, non modò Curiorum tempore, aut Fabriciorum, verùm etiam Antoninorum. Plures alias auctoritates poſſem adducere, quas nè prolixior ſim, libens prætereo, cùm hæc indicaſſe ſufficiat, vt colligi poſſit apud Romanos, ſaltem in duobus primis Eccleſiæ ſæculis, tam Fermentati, quàm Azymi vſum fuiſſe, prout propria voluntas, vel aduerſa valetudo, aut fortuna poſcebat. Veruntamen ſi omnia ſeriò perpendantur, vſitatiorem fuiſſe Azymum Fermentato crediderim, quoniam iſto ſolummodo vitæ delicatioris homines vterentur, cùm in illius præparatione maior induſtria, quàm in Azymo requiratur, quem certè Milites, alijque huiuſmodi ſortis homines, grauioribus curis diſtracti, probabiliter non adhibebant, ſed Azymo Pane reficiebantur, vtpote qui fiebat extempore, & ſtatim ſub prunis, cineribuſque coquebatur, vt docet Seneca in Epiſtola 90. ad Lucilium, ſic: *Farinam Aquâ ſparſit, & aſſiduâ tractatione perdomuit, finxitque Panem, quem primò cinis calidus, & feruens teſta percoxit.*

Equibus omnibus deduci poſſe videtur, maximè priſcos Chriſtifideles non ſolùm ex Apoſtolo-

rum

rum traditione, vt in ſuperiori capite diximus, Azymis in Sacrificio Miſſę vſos fuiſſe, verùm etiam ex ipſamet temporis conſuetudine, cùm plerique Chriſti fideles in eiſdem duobus primis ſæculis fuerint ex inferioris ſortis hominibus, qui Azymis vtebantur.

CAPVT TERTIVM.

Eccleſiam Latinam ſingulis Sæculis in Azymis celebraſſe oſtenditur.

ANTEQVAM ad ea, quæ proponimus, comprobanda quam plurima clariſſimorum Scriptorum teſtimonia afferantur, præmittenda ſunt permulta, quę ad Religionem ſpectarent, & ad nos atque ſeram poſteritatem peruentura fuiſſent, niſi immaniſſimus furor Diocletiani, illiuſque perſequutio in Chriſtianos ita ſęuijſſet, vt omnes, qui reperiri potuerint, ſacri Codices, monumentaque Religioſiſſima combuſta fuerint. Modò autem cum illis careamus, in obſcura rerum caligine circa plura verſamur, quod etiam fortaſſe accidit incuriâ Scriptorum, qui ea, quæ ſuo æuo maximo in vſu fuere, tanquam notiſ-

Digitized by Google

tiſſima, leuiaque, poſteris tradere nihil omnino curarunt. Pro dictorum confirmatione noſtri Azymi exemplum adducimus, cuius vſum in Sanctiſſimæ Euchariſtiæ inſtitutione indicauimus ex Euangeliſtarum teſtimonijs, quorum ſcripta per vniuerſum Chriſtianum Orbem diffuſa è flammis iniquæ perſequutionis feliciter euaſerunt. Quapropter in recenſendis, explicandiſque nonnullis, cum teſtimonio ſacrorum Codicum deſtituamur, conjecturis vti cogimur. Certum igitur eſt Apoſtolos, alioſque Chriſti Diſcipulos, non ſolùm ſui Magiſtri dicta, factaque excellentiora, ſed etiam minima, ſi tamen ita loqui fas ſit, cordi ſemper infixa habuiſſe, vt clarè deducitur ex Sancto Hieronymo in commentarijs in Epiſtolam ad Galathas lib. 3. cap. 6. vbi narrat, quod *Beatus Ioannes Euangeliſta cum Epheſi moraretur vſque ad vltimam ſenectutem, & vix inter Diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura verba vocem contexere, nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc: Filioli diligite alterutrum. Tandem Diſcipuli, & Fratres, qui aderant tædio affecti, quòd eadem ſemper audirent, dixerunt: Magiſter quare ſemper hoc loqueris? qui reſpondit, dignam Ioanne ſententiam: quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolùm fiat, ſufficit.* Hoc autem quod Diuus Hieronymus de Sancto Ioanne narrauit, id

pro-

Digitized by Google

profectò ab alijs quoque Apoſtolis, & Diſcipulis Domini fideliſſimè ſeruatum fuiſſe putandum eſt.

Cùm igitur Chriſtus Dominus noſter Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Azymo inſtituerit (vt in primo capite demonſtratum eſt) Apoſtoliſque præceperit, vt illud ipſum, quod viderant, in ſuam commemorationem facerent, vt narrat Lucas Euangeliſta cap. 22. 19. *Et accepto Pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem.* Apoſtoli, quod IESVS præceperat, fecerunt, poſteriſque Myſterium hoc incruentum, quod fidei noſtræ præcipuum eſt, demandârunt. Neque verò temerè aſſeretur, illos, ſi omnium, quæ eis præceperat IESVS, diligentiſſimi obſeruatores, atque Cuſtodes fuerunt, fuiſſe etiam in vſu Panis Azymi, quem à Chriſto Domino acceperant. Hinc non ſine quodam maximo iure deduci poſſe mihi videtur in primo ſæculo, tempore ſcilicet Apoſtolorum, in Azymo Sacro Sanctæ Euchariſtiæ myſteria celebrata fuiſſe.

Secundo etiam ſæculo, ſub cuius finem Tertullianus floruit, vſum Azymi viguiſſe conijcio. Coniecturam hanc ſuggerit nobis Pater Macedo ex eodemmet Tertulliano hiſce verbis: *Is Auctor lib. 2. ad Vxorem cap. 5. exhortans fœminas Chriſtianas ad reijcienda connubia cum Gentilibus, qui-*

bus cum tutò habitare non poſſunt, quòd videlicet ſuſpicarentur ritus, & cæremonias Chriſtianorum, videlicet ieiunandi, ingenicualandi, Crucem formandi, ſeque ſignandi, veneficia, præſtigias, & portenta eſſe: ſic ait de ſumptione Eucbariſtiæ. Non ſciet Maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciuerit Panem, non illum credet eſſe qui dicitur? Et hæc, ignorans quiſque rationem, ſimpliciter ſuſtinebit? ſine gemitu? ſine ſuſpicione Panis, an veneni? *Hic locus pertinet ad Azymum: nam ſi Maritus videret Vxorem manducantem Panem vſualem, & Fermentatum ante omnem cibum; ideſt ante prandium, nihil planè ſiniſtrum ſuſpicaretur de illo eſu antelucano, cùm Ientaculum eſſe poſſet, quod illi tempori conuenit, & ſic vſu venit.* (ſcilicet in Africa) *Non erat ergo Panis Fermentatus, & Vſualis, de quo nulla eſſet probabilis ſuſpicio, ac proinde erat Azymus, quem etſi monſtratum, Panem Mulier diceret, non crederet Maritus, cùm vulgaris Panis non eſſet. Non quadrat in Panem Fermentatum gemitus, nec timor mali, nec ſuſpicio veneni. Ecquis enim ad aſpectum Panis vſualis, & ordinarij ingemiſcat, tremat, & exhorreſcat? Nouus ergo & inſolitus Panis erat, cuius aſpectu vir conturbatus ingemiſceret. Itaque, vt conſtet cauſa formidinis, & ratio ſuſpicionis, Panis eſt Azymus ſtatuendus.*

Sanctus Cyprianus, qui vixit tertiò ſeculo in Epiſto-

ſtola ad Cæcilium. *Sic verò* (ait) *Calix Domini non eſt Aqua ſola, aut Vinum ſolum, niſi vtrumque ſibi miſceatur: Quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut Aqua ſola, niſi vtrumque adunatum fuerit, & copulatum, & Panis vnius compage ſolidatum*. In tanti Chriſti Athletæ memoria non legitur niſi Aqua, Vinum, & Farina, quæ copulata, & vnius compage ſolidata fuerint: ſi igitur adfuiſſet Fermentum, aliquo modo declaraſſet. At omnem dubitandi occaſionem auferre videntur Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus lib. 1. de Off. Eccl. cap. 18. Et Amalarius lib. 3. cap. 19. Ambo hi Scriptores eadem Cypriani verba locis citatis referunt, & cùm Iſidorus in fine ſexti, & Amalarius in octauo ſæculo vixerint, exinde eiſdem ſæculis, ipſis Auctoribus, Azymum vſitatum fuiſſe, probabimus infra. Ergo cùm ipſimet Iſidorus, & Amalarius citent Sanctum Cyprianum, concludi poſſe deducitur, quod eiuſdem Cypriani locum intellexerint de Pane Azymo eorum tempore vſitato.

In Quarto ſæculo adducimus Auctoritatem Gaudentij Epiſcopi Brixienſis Sancti Ambroſij contemporanei, nempe ſub finem ſæculi quarti. Ille enim in ſuo ſecundo Tractatu de Paſchæ obſeruatione. *Quomodo* (ait) *Panem de multis tritici granis in pollinem redactis per aquam confici, & per ignem neceſſe eſt conſumari, rationabiliter in*

eo

eo figura accipitur Corporis Chriſti, quem nouimus ex multitudine humani generis vnum eſſe corpus effectum per ignem Sancti Spiritus conſummatum.

Similem loquendi formam de Euchariſtico Pane in ijs ſæculis, Patribus fuiſſet communem, ex pluribus Auctoribus argui poteſt, vnde probatâ vnius Patris Auctoritate, probantur & aliæ. At quia Sancti Ambroſij meminimus, qui vixit in hoc quarto ſæculo, referendam hîc cenſeo mentionem Azymi, è Miſſa ab eodem Sancto inſtitutâ, relatâ à Pamelio diligente collectore Miſſarum antiquarum, pag. mihi 297. vbi enim oblationes exprimuntur, legitur: *Oblationes Panis Azymi cum patena.* At quia dubitari poſſet an iſte Pater fuerit eiuſdem Miſſæ Auctor, affero Auctoritatem VValafridi Strabonis in lib. de Reb. Eccleſiaſt. cap. 22. qui hoc dubium ſoluit. *Ambroſius* (inquit) *Mediolanenſis Epiſcopus tam Miſſæ, quàm cæterarum diſpoſitionum Officiorum ſuæ Eccleſiæ, & alijs Liguribus ordinauit, quæ, & vſque hodie in Mediolanenſi tenentur Eccleſia.*

In Quinto ſæculo eiuſdem Azymi vſum deduco ex Sancto Auguſtino, qui floruit in fine quarti ſæculi, & in principio quinti. Iſte enim Sanctus in Sermone 227. in die Paſchæ quarta ad infantes de Sacramentis ſecundùm ordinem nouæ Pariſienſis editionis, clariſſimè meminit

con-

confectionis Panis Azymi, cum tantummodo faciat mentionem tritici, & Aquæ, vocem autem Fermenti omittat. Audiamus ipſum Sanctum loquentem; poſt ea fuſius ſuper illius aſſertionibus diſſeremus. In præfato enim Sermone ſic ait: *Numquid enim Panis ille de vno grano factus eſt? nonne multa erant tritici grana? ſed antequam ad Panem venirent, ſeparata erant: per aquam coniuncta ſunt, & poſt quamdam contritionem. Niſi enim molatur triticum, & per aquam conſpergatur, ad iſtam formam minimè venit, quæ Panis vocatur. Sic & vos ante Ieiunij humiliatione, & exorciſmi Sacramento quaſi molebamini. Acceſſit baptiſmus, & Aqua; quaſi conſperſi eſtis, vt ad formam Panis veniretis. Sed nondum eſt Panis ſine igne, quid ergo ſignificat Ignis? hoc eſt Chriſma oleum, etenim ignis noſtri Spiritus Sancti eſt Sacramentum.* Et in Serm. 229. de Sacramentis fidelium feriâ ſecundâ Paſchæ loquitur: *Recordamini, & vos non fuiſtis & creati eſtis. Ad arcam Dominicam comportati eſtis: Laboribus boum, ideſt annuntiantium Euangelium triturati eſtis. Quando Catechumeni differebamini, in horreo ſeruabamini. Nomina veſtra dediſtis; Cæpiſtis moli ieiunijs, & exorciſmis. Poſtea ad aquam veniſtis, & conſperſi eſtis, & vnum facti eſtis: accedente feruore Spiritus Sancti cocti eſtis: & Panis Dominicus facti eſtis.* Idem etiam re-

Digitized by Google

repetit in Sermone 272. in die Pentecoſtes poſtremo, vbi ſic: *Recolite quia Panis non fit de vno grano, ſed de multis. Quando exorcizabamini, quaſi molebamini. Quando baptizati eſtis, quaſi conſperſi eſtis. Quando Spiritûs Sancti ignem accepiſtis quaſi cocti eſtis.* Quis igitur clariſſimè non animaduertit, quod Sanctus Auguſtinus quatuor tantùm meminit, ſcilicet grani, molitionis, conſperſionis, & coctionis, quibus Azymus conficitur? Si Panis fuiſſet Fermentatus vtique etiam Fermentum annumeraſſet, præſertim cum plures alluſiones, ſeu myſtici ſenſus ex illo deduci poſſent. Perpendamus modò vocem *Conſperſio*, quæ ad Azymum tantùm referri iudico. Supra in cap. 2. Ethnici Philoſophi Senecæ auctoritatem retulimus, qui in Epiſtola 90. ad Lucilium, expreſsè demonſtrat Azymi confectionem ſequentibus verbis: *Farinam Aquâ ſparſit, & aſſiduâ tractatione perdomuit, finxitque Panem, quem primò cinis calidus, & feruens teſta percoxit.* Licèt hîc ipſa conſperſionis vox non legatur, legitur tamen. *Farinam Aquâ ſparſit.* Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet: *Farinam Aquâ conſperſit.* Audiamus nunc inclytum Africanum Virum Tertullianum, qui in lib. 4. Cap. 24. aduerſus Marcionem, ſic loquitur: *Profectionem filiorum Iſraëlis, Creator etiam illis ſpolijs aureorum, & argenteorum vaſculorum, & veſtium,*

præ-

præter oneribus conſparſionum offarcinatam educit de Ægypto. Ad quæ Rigaltius notat, in exemplari legi *conſparſionem*, illudque *præter* aduerbiaſcere, & ſignificare *præterea* : *Onera* autem *Conſparſionum* dici farinæ maſſam aquæ conſpargine coactam. Heſychius: Σταῖς φύραμα ἀλεύρου πυροῦ. Σταῖς *Maſſa farinæ tritici*. Gloſſarium vetus, σταῖς, *adeps*. Item φύραμα, *maſſa*, *conſperſio*: ſic aduerſus Valentinianos: *In conſperſionis aluearia abſconderit, donec totum confermentetur*: additque verſionem vulgatam Epiſtolarum Pauli ad Corinth. 1. 5. *Vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis Azymi*. Itidem Pamelius ad hunc eundem locum notat *conſparſionem* Rhenanum ſic vertiſſe: ex vnica voce Græca, vt legitur Exod. 12. τὸ σταῖς. Vnde Beatus Hieronymus ex Hebræo tranſtuliſſe *farinam conſperſam antequam fermentetur*, & rectè, nam ex Nonio Marcello apud Cornelium à Lapide *farinam aquâ maceratam, manibuſque ſubactam, quæ Fermenti acorem nondum contraxit, vtpote aptiſſimam ad conficiendum Panes Azymos*. Idem quoque exponit præfatus Cornelius à Lapide ad Epiſt. 1. Diui Pauli ad Corinth. 5. 7. vbi legitur: *Vt ſitis noua conſperſio*, A Lapide ſic inquit: *Conſperſio Græcè dicitur* φύραμα ἀπὸ τοῦ φυρᾶν *Ideſt, à miſcendo, Hebraicè* Batſac, *ideſt farina aquâ mixta, & macerata, maſſa conſperſa, quæ vulgò* paſta *dicitur*.

Sacræ Scripturæ locus Exod. 12. 34. ἀνέλαβε δὲ ὁ λαὸς τὸ σταῖς αὐτῶν πρὸ τοῦ ζυμωθῆναι τὰ φύραματα αὐτῶν. Latina verſio ex eodem textu Græco ſic ſe habet: *Tulit autem Populus farinam ſuam antequam fermentarentur maſſæ eorum.* Tranſlatio verò B. Hieronymi ex Hebraico: *Tulit igitur Populus conſperſam farinam antequam fermentaretur.* Chaldaicæ Paraphraſis tranſlatio: *Tulitque Populus maſſam ſuam antequam fermentaretur, ſicut erat in panarijs ſuis.* Item tranſlatio ex Hebræo Santis Pagnini Lucenſis: *Et tulit Populus paſtam ſuam, antequam fermentaretur.* Tranſlatio verò LXX. *Aſſumpſit autem Populus farinam ſuam, antequam fermentaretur.* Noua verſio: *Et tulit Populus maſſam farinaceam aquâ ſubactam, antequam fermentaretur, reliquias ſuas veſtibus ligatas ſuper humerum ſuum.* In hunc poſtremum locum notat Franciſcus Vatablus ſic: *Cibos ſuos ligatos in veſtibus poſuit ſuper humeros ſuos. Alij vertunt: Panaria ſua inuoluta veſtibus; ideſt vaſa, in quibus maſſa illa, vt tamen continens ſit pro contento, quaſi dicat, conſperſiones ſuas conſperſas.* Clarè igitur ex allegatis deduci poſſe videtur pro conſperſione nihil aliud intelligendum eſſe, niſi Azymum Panem, quem præceperat Dominus in dicto cap. 12. Vnde deduco Sanctum Auguſtinum, quando conſperſionis meminit, ni-

nihil aliud pro huiuſmodi conſperſione quàm Panem Azymum intelligere voluiſſe.

Cum autem de hac mea ſententia die quadam cum ſupra laudato R. P. Iuliano ſermonem haberem, validiùs eandem mihi ex eodemmet Sancto argumentis deductis probari, ac confirmari poſſe ſignificauit, quare vt ſuam in ea re opinionem proferret à me rogatus eſt, eamque hiſce verbis aperuit.

Obiecerat Fauſtus Manichæus Catholicis quod non antiquo veteris inſtrumenti ritu Paſchalem peragerent ſolennitatem; Licet enim Azymorum vſum retinuiſſent, in reliquis tamen omnibus diſcrepabant. *Cum ouem magis nos habeamus in re præſentis Euangelij, nos in vmbram futuri, eiuſque occiſionem, cum quotidie* (in celebratione Miſſarum) *tum maximè anniuerſariâ ſolennitate* (cuiuſmodi Paſchalis) *non venturam præſignemus, ſed factam commemoremus*. In eo totus cardo obiectionis. Quam vt diluat Auguſtinus, duo tamquam veriſſima ſupponit. Vnum, quod paulò ante protulerat, nempe vetus teſtamentum *eo ipſo, quo iam non obſeruatur, non damnatum, ſed impletum probari*. Alterum eſt vſus Azymorum, non ſolùm per ſeptem dies Paſchales, vt faciebant Iudæi, ſed per ſingulos quoſque dies à Miſſam celebrantibus per totum anni curriculum.

Hiſce ſuppoſitis, neruum reſponſionis ſuæ totum intendit Auguſtinus ad diuerſas pro diuerſorum temporum exigentia ſignificationes, ita, vt quæ Azyma in veteri teſtamento præſignabant Meſſiæ aduentum, vt aliquando *futurum*, eadem prorſus Azyma in nouo teſtamento deſignent Meſſiæ aduentum, vt iam *præteritum*. Iam verò penſiculatè Auguſtini reſponſum attendamus. *Ideò ſanè dies Paſchæ ſolennitatis noſtræ ad diem celebrationis vmbraticæ Iudæorum* (notetur *vmbraticæ*, illa enim erant vmbræ futurorum) *non occurrit*, *vt & Dominicum diem; quo Chriſtus reſurrexit, complectamur*. Vnde non mirum, quod ſolennitas noſtri Paſchatis non *occurrat*. Ideſt non reſpondeat omnifariàm Iudaici Paſchatis ſolennitati. Tunc enim Azyma connotabant res vt futuras, nunc autem Azyma eaſdem connotant vt præteritas. Hoc eſt quod ſubiungit: *Azyma verò qui rectæ fidei Chriſtiani ſunt, non in Fermento veteris vitæ, hoc eſt malitiæ, ſed in ipſius fidei veritate, & ſynceritate cuſtodiunt. Non ſeptem diebus*, (vt in celebritate Paſchatis ſui faciebant olim Iudæi) *ſed omni die, quod ſignificatum eſt numero dierum ſeptenario, quo quotidie omnis voluitur dies*. Videlicet Sacerdotum noſtrorum omni die in Azymis ad altare offerentium. Ea eſt pura puta eo loci mens, iuxta acutiſſimi, ac Sanctiſſimi

Docto-

Doctoris verba. Hæc igitur doctiſſimi P. Iuliani ſententia eſt.

Præterea Azymi vſum in hoc ſæculo V. ſubobſcurè ſaltem demonſtrat S. Leo Magnus in ſerm. 63. de Paſſione Domini 14. Cap. 7. vbi ſic: *Hoc eſt quod Paſcha Domini in Azymis ſynceritatis, & veritatis legitimè celebratur dum Fermento veteris malitiæ abiecto, noua creatura Dei pro Domino inebriatur, & paſcitur*. Cum autem locus iſte duplicem expoſitionem habeat, literalem & Myſticam, puto Sanctiſſimum Pontificem in hoc Sermone Azymum Panem, quo vtebantur fideles Paſchatis die ad Myſticum ſenſum trahere voluiſſe, vt expoſuit Apoſtolus ad Corint. 5. 8. *Itaque epulemur; non in Fermento veteri, neque in Fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in Azymis ſynceritatis, & veritatis*. Nec obſtat quod aliquis obijcere poſſit S. Pontificem de Azymo Hebræorum loquutum fuiſſe: namque ex ipſiuſmet verbis de Chriſtianorum Azymo intellexiſſe conijcitur. Inferius enim in eodem ſermone ſic legitur: *Non enim aliud agit participatio Corporis, & Sanguinis Chriſti, nam vt in id, quod ſumimus tranſeamus, & in quo commortui, & conſepulti, & conreſuſcitati ſumus, ipſum per omnia & ſpiritu, & carne geſtemus*.

In Sexto Sæculo nonnulla ſunt teſtimonia à Mabil-

Digitized by Google

Mabillonio Cap. VIII. pag. 94. adducta, nempe S. Radigundæ, quæ viuebat anno 555. & cuiuſdam Matronæ Romanæ tempore Diui Gregorij Magni, quæ iam Sanctimonialis effecta more S. Germani in Quadrageſima frumentum ſuâ manu commolebat, offerebatque deinde Eccleſijs: teſte Venantio Fortunato in ipſius vita: Vixit Venantius vſque ad annos Chriſti 600., & ſic ſcriptor ſui temporis geſtorum: S. Germanus ſupra relatus Pariſienſis Epiſcopus fuit, interfuitque Concilio ibidem celebrato Anno 557. Teſtimonijs; quæ pro Azymi vſu in hoc ſæculo VI. Superiùs allata ſunt, aliud à ſæpè laudato R. P. Magiſtro Iuliano acceptum adijciam, verba ſcilicet Gregorij Magni à D. Thoma 3. p. q. 74. art. 4. relata, quæ ſic ſe habent. *Romana Eccleſia offert Azymos Panes, propterea quod Dominus ſine vlla commixtione ſuſcepit carnem, ſed cæteræ Eccleſiæ offerunt Fermentatum, pro eo quod verbum Patris indutum eſt carne, ſicut Fermentum miſcetur farinæ.* Idem repetit lib. 4. contra Gent. Cap. 69. & in Opuſc. 1. Contra errores Græcorum circa finem. Cap. 68. Porrò ſi locus iſte D. Gregorij inter eius opera reperiretur, clariùs id vtique comprobari non poſſet; at quia quamuis maxima cum animi cura poſtremam Pariſienſem editionem anni 1675. perluſtrauerim, eum non inue-

ni,

Digitized by Google

ni, propterea quænam fides huic auctoritati præſtanda ſit; eruditioribus examinandum relinquo. Prætereundas tamen haud puto rationes, quæ ab eodem R. P. Magiſtro Iuliano pro hac firmanda auctoritate adducuntur, nempe Epiſtolam illam D. Gregorij, quam Angelicus Doctor citat, non eius tantummodo tempore extitiſſe, ſed etiam duobus ferè ſubſequentibus ſæculis: nam Gennadius Scholarius, qui floruit tempore Concilij Florentini in defenſione ipſius Concilij Cap. 2. ſect. 8. idem illud D. Gregorij teſtimonium etiam affert, ſub pluribus tamen verbis, quàm referatur à D. Thoma; ſic enim Gennadius: *Nunc demonſtrabitur, quo pacto Romana Eccleſia Azymum, & Orientalis Eccleſia Fermentatum conficit per Gregorium Dialogum virum ſanctiſſimum. Hic enim optimè cauſas reddit Azymi, & Fermentati, traditque Occidentalem Eccleſiam Azymum, & Orientalem Fermentatum antiquitùs in vſu habuiſſe, bonâque, & laudabili ratione vtramque ad id efficiendum fuiſſe permotam. Scribit enim: Solet multos perturbare, quamobrem in Eccleſia, quidam Panes Azymos, quidam offerunt Fermentatos. Romana Eccleſia offert Azymos Panes, propterea quod Dominus ſine vlla commixtione ſuſcepit carnem, ſed Cæteræ Eccleſiæ offerunt Fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indu-*

tum

tum eſt carne , & eſt verus Deus , & verus homo . Item & Fermentum commiſcetur farinæ , & efficitur corpus Domini Noſtri Ieſu Chriſti viui . Sed ſiue in Azymo ; ſiue in Fermentato conficiatur , Domini Corpus , & Saluatoris noſtri ſumimus . Quibus concludit idem R. P. Iulianus Gennadium ea minimè è riuis D. Thomæ hauſiſſe ſed ex ipſo fonte D. Gregorij ; ſi autem hodie huiuſmodi Epiſtola non inuenitur , idem profectò quàm plurium ſcripturarum fatum ſortitam eſſe credendum eſt , quæ vt diurna experientia teſtatur , partim iniuriâ temporum , partim hominum incuriâ intercidunt .

Labente Septimo Sæculo nempe anno 693. Toleti Concilium celebratum fuit , in quo Patres in VI. Canone ſic decreuere : *Ad conuentus noſtri agnitionem delatum eſt , quod in quibuſdam Hiſpaniarum partibus , quidam Sacerdotum non Panes mundos , & ſtudio præparatos ſupra menſam Domini in Sacrificio offerant : ſed de Panibus ſuis vſibus præparatis cruſtulam in rotunditatem auferant , eamque ſuper Altare cum Vino , & Aqua pro ſacro libamine offerant . Quod factum nequaquam in Sacræ auctoritatis Hiſtoria geſtum perpenditur &c. Vnde id vnanimitatis noſtræ delegit Conuentus , vt non aliter Panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur , niſi*

inte-

Digitized by Google

integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus: neque grande aliquid, ſed modica tantùm oblata, ſecundùm quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat. Hunc Canonem in ſuam ſententiam trahere conatur Eminentiſſimus Bona in lib. 1. cap. 23. num. 6. aſſerens clariorem eſſe non poſſe. Mabillonius verò dicto cap. 8. ſententiam contrariam tuetur, varijſque probat rationibus hunc Canonem pro Azymorum vſu accipiendum, quare pro iſta opinione firmanda nonnullas ex hac delibamus, aliaſque nos ipſi rationes adijcimus. Prima eſt cap. 5. Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi vitam degentis anno 815. in quo hæc: *Panes quos Deo in ſacrificium offertis, aut à vobis ipſis, aut à veſtris pueris coram vobis nitidè, ac ſtudioſè fiant.* Secunda ex libro de miraculis S. Huberti Tungrenſis Epiſcopi cap. 8. vbi aſſeritur Monachos Cœnobij eiuſdem Sancti in Arduenna Panes ſuis manibus cum laude pſalmodiæ formatos Odoni Comiti anno 841. obtuliſſe. Pro iſtis Panibus oblatis Eulogias intelligendas nón ambigo. Confirmat ea quæ dicimus, & omnem plânè dubitationem amouet qualis fuerit iſte Panis ſtudio confectus, HRabanus Maurus, qui viuebat anno 850. In ſuo Cod. M S. Bibliothecæ Palatinæ ſub num. 294. & tit. de Eulogia, vbi: *Licet* (inquit) *vnicuique Sacerdoti vt aſſumat de*

decimo ſuo quod illi obtulit Populus, & faciat Azymos Panes per ſingulos Dominicos dies, & det populo Eulogiam in Dominico die poſt Miſſam, his qui conſummant Sacrificium Domini; ideo debet Sacerdos Populo dare Eulogiam, quia quidam non ſunt mundi de Vxoribus ſuis, ac de aliјs malis operibus, vt aſſumant Sacrificium Domini. Tertia ratio eſt Humberti Cardinalis viuentis anno 1055. in ſua reſponſione contra calumnias Græcorum, in qua *Romana* (inquit) *& Occidentalis Eccleſia à Miniſtris Sacri Altaris in ſecretario confectum offert Azymum, quod ex grano frumenti, & limpida Lympha per ignem fuerit præparatum.* Quarta confirmat modum hunc conficiendi Panem à Sacerdotibus, deſumpta ex præfato Humberto Cardinali, ac Honorio Auguſtodunenſi in ſua Gemma animæ. Cap. 48. in quo ſic: *Fertur quod olim Sacerdotes de ſingulis domibus, vel familiјs farinam accipiebant, quod adhuc Græci ſeruant, & inde Dominicum Panem faciebant, quem pro Populo offerebant, & hunc conſecratum eis diſtribuebant. Nam ſinguli farinam offerentium Miſſæ interfuerunt, & pro his in Canone dicebatur*: Et omnium circumſtantium, qui tibi hoc Sacrificium laudis offerunt. *Poſtquam autem Eccleſia numero quidem augebatur, ſed Sanctitate minuebatur, propter Carnales ſtatutum eſt, vt qui poſ-*

poſſent ſingulis Dominicis, vel in Dominica, vel ſummis feſtiuitatibus, vel ter in anno communicarent, ne ante confeſſionem, & pœnitentiam pro aliquo crimine iudicium ſibi ſumerent, & quia Populo communicante non erat neceſſe Panem tam magnum fieri; ſtatutum eſt, eum in modum denarij formari; Et vt Populus pro oblatione farinæ denarios offeret, pro quibus Dominum traditum recognoſceret. Qui tamen denarij ad vſum pauperum, qui membra ſunt Chriſti cederent, vel in aliquid, quod ad hoc Sacrificium pertinet.

Quinta & vltima ratio, quæ ſupradictas omnes confirmat, eſt Vldalrici, qui Lib. 3. Cap. 13. qua religione formarentur Panes ad vſum Sacrificij apud Monachos Cluniacenſes oſtendit, nempe quod frumentum granatim electum magna cum reuerentia à Monacho albis induto ad farinarium delatum molebatur, & cribratâ ſimili ritu farinâ cum aqua frigida conſpergebatur: Deinde ferramentum, in quo coquendæ erant hoſtiæ, alius (quem Monachi conuerſum vocant) manus chirothecis ſuperindutus, tenebat. Hic decoquendi Azymum Panem vſus in ferramentis legitur obſeruatus in Sæculo Nono ex lib. 2. de Miraculis Sancti VVandregeſilij Abbatis Cap. vltimo, vbi narratur quandam Sanctimonialem, ſeu piam fœminam, quæ ſanitati ab eodem

Digitized by Google

Sancto fuerat reſtituta, hoſtias, quas Domino oblatura erat, in craſtinum formâſſe, tum acceſſiſſe ad ignem, & ferrum, quo deprimendæ, ac decoquendæ erant, arripuiſſe.

Temporum ſeriem ſequentibus obuenit in octauo ſæculo Egbertus Eboracenſis Epiſcopus, qui per hæc tempora vixit, & Alcuini Præceptor fuit, in exceptionum enim ſuarum Cap. 98. laudat, probatque Canonem, quem vocat Sanctorum, his verbis: *Sacerdotes Dei diligenter procurent, vt Panis, & Vinum, & Aqua, ſine quibus nequaquam Miſſæ celebrantur, pura, & munda fiant.* Vbi Verbum *Panis purus* non niſi pro Azymo accipiendum eſt; vt probatur eius diſcipuli, nempe Alcuini, auctoritate in Epiſtola 69. editionis Cheſnianæ, vbi arguit quoſdam Hiſpanos cenſentes miſcendum eſſe ſalem in Sacrificio, ideſt in materia Panis Euchariſtici. *Quam conſuetudinem* (inquit) *nec vniuerſalis obſeruat Eccleſia, nec Romana cuſtodit auctoritas.* Tum ſigillatim enumerat ea, quæ in Sacrificium liceat adhibere. *Tria ſunt* (inquiens) *quæ in Sacrificio offerenda ſunt; Panis, & Aqua, ac Vinum. Qualis Panis? Panis qui in Corpus Chriſti conſecratur abſque Fermento vllius alterius infectionis debet eſſe mundiſſimus.* Atqui Fermentatus Panis non eſt *abſque Fermento vllius alterius infectionis*, nec

eſt

eſt *mundiſſimus*; Nam Fermentum corruptionis effectus, & ſymbolum eſt, vt iam diximus. At quibus tandem rebus conſtare debet Panis iſte? *Ex aqua, & farina Panis fit* (ait) *qui conſecratur in Corpus Chriſti*.

Sequitur ſupra citatus HRabanus Moguntinus Archiepiſcopus, eiuſdem Alcuini diſcipulus, qui lib. 1. de Clericorum inſtitutione Cap. 31. poſt annum 819. vt ex Labbe de Scriptor. Eccleſiaſt. atque adeo triginta nouem annis antequam Photius in Patriarchatum Conſtantinopolitanum intruderetur, ſequentibus verbis declarat, Panem Sacrificij Azymum eſſe oportere; ex loco enim qui Panem veteris Sacrificij ſine Fermento eſſe præcipit, & Chriſti exemplo, qui eiuſmodi Panem in Cœna adhibuit, ſic infert: *Ergo Panem infermentatum, & Vinum aquâ mixtum in Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti ſacrificari oportet*. Alium eiuſdem Auctoris locum afferemus infra in Cap. 6. & reſponſione ad ſeptimum argumentum Eminentiſſimi Bonæ.

HRabano Mauro, quem ſupra attulimus, ſucceſſit VValafridus Strabo, qui ſcripſit circa annum 842. vt conijcitur ex ipſius carmine ad Lectorem.

Hoc opus exiguum VValafridus pauper hebeſque
Collegit, Patrum dogmata lata ſequens.

Sed

Sed non ſponte ſua tam magnos venit in auſus,
Dura Reginberti iuſſio adegit eum.
Si quid in hoc Lector placet, aſſignare memento
Id Domino: quidquid diſplicet, hocce mihi.

Reginbertus enim, ni fallor, fuit Abbas Sancti Galli, creatus anno 841. vt ex Bucellino in ſua Germania Sacra, & VValafridus, Monachus eiuſdem Monaſterij, quare vti talis obtemperare debuerat ſui Abbatis atque Rectoris imperijs. Propterea dixit.

Dura Reginberti iuſſio adegit eum.

Auctor iſte nempe VValafridus in ſuo tractatu de rebus Eccleſiaſticis Cap. 18. Quid offerendum ſit in Altari, reprehendens illorum errorem, qui Agni carnes in Paſcha, iuxta vel ſub Altari ponentes, eas benedictione propriâ conſecrabant, & in ipſa Reſurrectionis die ante quoſlibet alios cibos de ipſis libabant, ſubiungit, quod: *Quid ſit ſuperuacuum, & à Sacramentis Chriſtianæ perfectionis abhorrens facilè perſpicit, qui veraciter intelligit, quod Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, & vult epulari non in Fermento veteri, ſed in Azymis ſynceritatis & veritatis.* Quibus id auctorem hunc ſenſiſſe crediderim, nempe Panem Euchariſticum, non verò Agnum vtcumque benedictum aut conſecratum, ante alios cibos in Sacro die Paſchæ ſumendum eſſe.

Ve-

Verùm hactenus Teſtimonia in ſingulis ſæculis vſque ad Cerularij ſchiſma pro Azymi vſu adducta ſatis ſuperque ſint.

CAPVT QVARTVM.

Vox Fermenti *in Melchiadis, & Siricij decretis, ac in Epiſtola Innocentij I. ad Decentium Epiſcopum contenta, in quo ſenſu à nonnullis ſcriptoribus accepta ſit?*

LICET Quæſtio Azymorum in vndecimo ſæculo acerrimè agitata, in Florentina tandem Synodo finem habuerit, noſque his, quæ ſuperiùs attulimus ſatis ſuperque in tanta rerum caligine demonſtrauerimus ab ipſo etiam Eccleſiæ naſcentis exordio, ac in ſequentibus ſæculis Azymum vſitatum fuiſſe; ſciendum tamen eſt non defuiſſe, qui dubitandi anſam deſumpſerunt ex infra ſcriptorum Pontificum decretis, ac Epiſtolâ.

Porrò in Melchiadis vita, qui floruit in principio IV. ſæculi in libro Pontificali deſcriptâ, qui ſub Anaſtaſij nomine circumfertur, ſic legitur: *Hic*

Digitized by Google

Hic fecit, vt oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum. Item habetur in vita Siricij, qui in fine eiuſdem ſæculi Romanam Eccleſiam rexit: *Hic conſtituit, vt nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem Hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum; quod nominatur Fermentum*. In Epiſtola autem Innocentij ad apicem Pontificatus aſſumpti in principio Quinti ſæculi, quæ prima eſt, & habetur in cap. 5. prædictus Pontifex Decentio Epiſcopo Eugubino circa Fermentum reſpondet his verbis: *De Fermento verò quod die Dominica per Titulos mittimus, ſuperfluè nos conſulere voluiſti, cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra Ciuitatem ſint conſtitutæ, quarum Presbyteri, qui die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum conuenire non poſſunt, idcircò Fermentum à nobis confectum per Acolytos accipiunt; vt ſe à noſtra communione, maximè illa die, non iudicent ſeparatos. Quod per Parochias fieri debere non puto: quia non longè portanda ſunt ſacramenta: nec nos per Cœmeteria diuerſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus; & Presbyteri eorum conficiendorum ius habeant, atque licentiam*. Hæc tantorum Pontificum monumenta, cum plurimùm ſcriptorum mentes in varias partes diſtraxerint, adeò vt varia eorundem ſententia ſit in

ſtatuendo quidnam vox illa *Fermenti* denotet, Nos ſingulorum opiniones hîc ſolita breuitate referre, eaſque ad quatuor Claſſes redigere decreuimus. Prima igitur eorum eſt, qui licèt de voce *Fermenti* meminerint, nihilominus aut mole difficultatis preſſi, aut alia de cauſa, rem leui calamo tetigere, vt effeciſſe videntur antiquus quidam auctor Anonymus, à Pamelio in ſuo Liturgico Latino relatus, ac Petrus Epiſcopus Vrbeuetanus, necnon Franciſcus Maria Florentinus, qui morte præuentus diſſertationem ſuam abſoluere haud valuit.

Secunda illorum, qui Euchariſtiam ſub voce *Fermenti* à præfatis Romanis Pontificibus acceptam fuiſſe clarè fatentur. Viam hanc iniêre Eſpencæus, Latinus, Sirmondus, Cardinalis Bona, qui etiam ad Fermentatum eam extendit, & Chriſtianus Lupus.

Tertiam tuentur ij, quibus *Fermentum* accipere placuit non pro Euchariſtia, verùm pro Eulogijs, ſeu Panibus benedictis, qui communionis, & Chriſtianæ charitatis conſeruandæ causâ, mitti ad Fideles ſolebant. Hanc opinionem ſequuti ſunt Cardinalis Cuſanus, & Baronius, Binius, Raynaudus, Macedo, Altaſſerra, & Cabaſſutius.

Quarta opinio amplectitur illos, qui medium tenentes, *Fermenti* nomen in allegoricum ſenſum

I tra-

traxêre: opinantes eo nomenclaturæ genere, quaſi ſub larua quadam ex pia induſtria, ac per artem excogitatâ, Euchariſtiam ipſam fuiſſe myſticè, & allegoricè ſubindicatam, vt hoc fuco Myſterium, & Sacramentum Infidelibus abſconderetur. Ita opinati ſunt Antonius Auguſtinus, & R. P. Mabillonius.

Hæ ſupra allatæ opinionum varietates videri ſatis deberent, ſed ne dum breuis eſſe laboro obſcurus fiam, ſatiùs eorundem Scriptorum dicta exponere duco. Tum etiam quia ex eiſdem nonnulli admodum breues ſunt, alij verò adeo prolixi, vt incommodum, tædiumque Lectoribus afferant, quibus ego gratiſſimum fore crediderim, ſi eorundem Auctorum, quos citaui, libros in compendium redigam, ac ſub oculos iuxta ſupra diſtinctas Claſſes exhibeam.

CLASSIS I.

Eorum, qui licèt de voce Fermenti *diſſeruerint, nihilominus, quid ea denotaret, non expreſſerunt.*

§. I.

Anonymi ſententia de Fermento.

PRimus, quem ſciam, qui de *Fermenti* voce ſcribere ſit aggreſſus, eſt Auctor quidam incer-

certus, cuius nominis, aut temporis, quo vixit, aut ſcribere cæpit, nulla ad nos vſque adhuc notitia peruenit; validis tamen coniecturis antiquiorem reliquis hac de re ſcribentibus illum exiſtimo. Hunc Pamelius in ſuo Liturgico Latino Tom. 1. pag. mihi 489. incertum auctorem vocat M S. Librorum quinque de diuinis Officijs.

Iſte igitur Anonymus lib. 1. ex Pamelio, de Fermenti voce, ait: *Conſtituiſſe S. Siricium Papam, vt nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur Fermentum, iuxta quod B. Melchiades Papa primum fecit oblationes conſecratas ab Epiſcopis, propter Hæreticos per Eccleſias dirigi, quæ certi gratiâ Myſterij declarantur ſub nomine* Fermenti. *Dominus enim, & Saluator noſter docet cauendum eſſe à Fermento Phariſæorum. Quod Euangeliſta exponit, doctrinam eſſe, & traditionem eorum, dicens eos ſine cauſa colere Deum, docentes doctrinas, & mandata hominum. Qui cum negligunt Azyma ſynceritatis, & veritatis ritè comedere in noua conſperſione, qua per nouitatem fidei vnus Panis, & vnum corpus multi dicimur exiſtere; neſciunt forſitan diſcernere vetus Fermentum, quod dicit Apoſtolus eſſe Fermentum malitiæ, & nequitiæ. Propter hanc igitur hæreſim Phariſæorum; qui di-*

cuntur diuiſi, ab vnitate ſcilicet ordinis Eccleſiaſtici, ſiue propter communionem Epiſcoporum, qua ſignificatur debere Presbyterum perſeuerare in doctrina Apoſtolorum, atque Apoſtolicorum virorum, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi: propter hæc, inquam, iubetur, ſicut in Libro de geſtis Pontificalibus legitur, vt nullus Presbyterorum Miſſas celebrare præſumat per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſcipiat declaratum, quod nominatur Fermentum. *Hinc etiam S. Papa Innocentius, ſcribens ad Decentium Epiſcopum; De Fermento (*inquit*) quod die Dominico per Titulos mittimus, &c.*

Hæc ad Verbum ex Anonymo à Pamelio relato tranſcripta ſunt: Quid autem ipſe Anonymus præter Myſticum ſenſum denotare voluerit, obſcurum eſt. Patet tamen nihil ad quæſtionem noſtram fuiſſe loquutum. Nihilominus ipſum afferre duximus, ne aliquid in huiuſmodi rebus inauſum, & intentatum remaneat.

§. II.

Petri Epiſcopi Vrbeuetani iudicium de Fermento.

Secundus, qui ad explicandam *Fermenti* vocem ſtylum conuerterit, fuit Petrus Vrbeuetanus

tanus Epiſcopus, vt iudicat Eminentiſſimus Cardinalis Bona Liturgicorum lib. 1. cap. 23. n. 8. ac ex Vghellio in ſua Italia ſacra in Epiſcopis Vrbeuetanis n. 38. fuiſſe credimus Petrum Boëtium, qui ob inſignem Canonum ſcientiam ab Vrbano V. Vrbeuetanus Epiſcopus anno 1364. pronunciatus eſt. Eius opera inedita ſeruantur in celeberrima Bibliotheca Barberina.

Petrus ergo in Scholijs, ſiue notis ad Melchiadis vitam, ſic aït: *Diebus Dominicis mittebat Romanus Pontifex per Titulos vrbis* Fermentum *confectum ab ipſo, per ſuos Acolytos, vt à communione eius plebs non putaret ſe ſeparatam, quia recipiebat corpus Chriſti de* Fermento *ab ipſo conſecrato. Ad Eccleſias autem Cœmeteriorum extra Vrbem poſitas non mittebatur, quia ſacramenta longè deferri non poſſunt.*

Ecce alterius quoque Auctoris eruditione, ac dignitate illuſtriſſimi, altum de clara expoſitione vocis *Fermenti* ſilentium.

§. III.

Franciſci Mariæ Florentini de Fermenti *voce cogitatum.*

ANno 1680. poſthumum opus prodijt Franciſci Mariæ Florentini, typis mandatum à Ma-

Mario Florentino Auctoris filio, cui libro Titulus: *Tumultuaria diſquiſitio de antiquo vſu Fermentati Panis, & Azymi*. Vbi ſentit Auctor, in primitiua Eccleſia tam Azymum, quàm Fermentatum Panem adhibitum pro Euchariſtia fuiſſe. Quia verò hæc nihil ad nos attinent, cum nec verbum quidem de voce *Fermenti* habeatur, conſultò omittemus.

CLASSIS II.

Illorum qui Fermenti *vocem Euchariſtiam denotare putarunt.*

§. I.

Claudij Eſpencæi Pariſienſis Theologi coniectura de Fermento.

AVctor iſte, qui doctè admodùm, & eruditè anno Domini 1570. ſcripſit de adoratione Euchariſtiæ. lib. 2. cap. 4. demonſtraturus Euchariſtiam Catholicis ſuperuenientibus aſſeruatam, miſſam, participatamque fuiſſe, inter alia, Melchiadis vtitur auctoritate, ſed verba illa omittit, *Quod declaratur Fermentum*. Non caſu, vt opinor, ſed ex conſilio, vt videlicet ſcopulum declinaret. Iſthæc igitur ſunt verba Eſpencæi:

Ap-

Apparet enim ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Epiſcopis Catholicis Romam aliunde ventitantibus, Romanos Epiſcopos non hanc tantùm, vt ſoſpitibus teſſeram, ſed & quidem multò magis, vt communionis, & Catholiciſmi Symbolum, ſolenniter tranſmiſiſſe. Sic Irenæus in Ieiunioſa illa, vt ita loquar, ſiue Paſchali controuerſia ſcribit ad Victorem I. Papam, & Martyrem: Præceſſores (*ait*) tui Romani Epiſcopi, aliter quàm nos Paſcha licèt obſeruantes, noſtratibus Epiſcopis ſuo more, atque ſecùs quam vos, id obſeruantibus, Euchariſtiam tamen miſerunt, eiuſque illis miniſterium pacis, & honoris ergo Romæ permiſerunt. *Quem morem in legem abiiſſe, coniicere eſt ex conſtitutione Melchiadis Papæ itidem & Martyris, vt ex Epiſcopi conſecratu oblationes propter Hæreticos (hauddubiè internoſcendos) dirigerentur per Eccleſias (indubiè Catholicas) Narrant Liber Pontificalis, Bedæ & Adonis Martyrologia: Et qui ad Damaſum, aut Ruſticum Narbonenſem fertur Hieronymi liber de ſeptem gradibus Eccleſiæ, in ſexto, qui ſacerdotum eſt:* Euchariſtiam (*inquit*) iam pridem per Presbyteros benedictam, ſi vſus exegerit, Epiſcopi accipere debent, neque id ad iniuriam reuocare, quod à minori ea ſcilicet ſit benedicta. Nec dico, præſentibus, & altari Epiſcopis aſtantibus, presbyteros poſſe ſacramen-

menta conficere (eorum, credo, iniuſſu) ſed ſi fortè vſus exegerit, vt venientes ad Eccleſiam ſacerdotes (Epiſcopi) eiſdem, quibus horis oblatio, aut parata non ſit, aut etiam offerri non poſſit, non debent Epiſcopi repudiare Euchariſtiam, ſi ponatur in altari, quam accipi oportet propter Chriſtum, quoniam corpus Chriſti eſt. *Vbi audis Euchariſtiam iam pridem ab alio confectam, aduentori Epiſcopo porrigi ſolitam, & hunc in vſum ante parari. Idem videtur ſanxiſſe de Diaconis Concilij Niceni Canon. XIV. vt Euchariſtiam, vel ab Epiſcopo, aut Presbytero præſente ſumerent, vel ſi non fuiſſent in præſenti Epiſcopus, aut Presbyter, proferrent ipſi, & manducarent, ab illorum ſcilicet altero prius conſecratam (nam idem Canon negat Diaconos ſacrificij huius offerendi habere poteſtatem) & in vſum petentium, aut petiturorum cùm aliorum, tum Diaconorum aſſeruatam. Etſi non eſt diſſimulandum hanc particulam non eſſe in fonte Græco, nec in alia tranſlatione, vbi ponitur hic Canon in ordine XVIII. & à Gratiano eundem Canonem citante, prætermitti.*

Hæc Eſpencæus ex coniecturis potiùs, quàm ex neceſſarijs demonſtrationibus aſſeruit. Quibus ad hanc vocem *Fermenti* ſententiam ſuam aperuit; ipſam ſcilicet Euchariſtiam ſignificatam fuiſſe opinatus. Hunc autem eundem explicandi mo-

modum ab Eſpencæo, ij qui poſt ipſum ſcripſere nuperi Auctores, vt Latinus Latinius, alijque fortaſſe mutuati ſunt.

§. II.
Latini Latinij ſententia de Fermento.

LAtinus ergo, qui anno redempti Orbis 1576. de *Fermento* ſcribere aggreſſus eſt, ita teſtatum reliquit: *Fermentum verum Sacramentum Euchariſtiæ, id eſt corporis, & ſanguinis Domini videtur omninò fuiſſe. Appellabatur* Fermentum, *non quia aliquid haberet commune cum* Fermento, *quo vtimur ad Panem fermentandum, ſed eâ fortaſſe ratione vel quia velut* φύραμα, *id eſt*, Maſſa, & conſperſio *eſſet vtriuſque partis ſacramenti, corporis videlicet, & ſanguinis, ita mixta, vt nullo modo ſeparari poſſet; quod eo conſilio fiebat, vt Manichæi, qui Vinum tanquam fel Principis tenebrarum auerſabantur, atque ea de cauſa calicem ſumere renuebant, eiuſmodi argumento proditi manifeſti fierent, & à Sanctorum ſocietate ſacerdotali auctoritate pellerentur, vel quia propriè* Fermenti *vicem obtineret, in alia maiori maſſa fermentanda, quæ ſatis eſſe poſſet ad Populum cuiuſque Tituli communicandum, cum enim Titulares Vrbis Presbyteri, quorum curæ Populus commiſſus erat*

de Dominico paſcendi gregis ſui munus per ſe ipſos neceſſariò peragerent, eſſetque etiam tum Romæ conſuetudo, vt Ciues ſinguli in proprias Eccleſias ad ſacram ſynaxim conuenirent, nulla videbatur ad Manichæos deprehendendos expeditior potuiſſe ratio inueniri; quàm quæ prudentiſſimè à ſummis Pontificibus illis excogitata fuit. Nam cum eſſet cuique Presbytero ſuæ plebis capitum deſcriptus nũmerus, non poterat quiſquam Manichæorum Hæreſi imbutus eo die abeſſe ab Eccleſia, quin ſe eius Hæreſeos ſuſpectum redderet. Cogebatur ergo inuitus conuenire, vt ſuſpicionem eam à ſe amoliretur. Sed in ſacramenti ſumptione difficillimè latere poterat, ſi palàm poſt ſacramentum corporis ſumptum, calicem recuſaret.

Inſuper aliam addit rationem: *Quod Fermentum à ſummis Pontificibus confectum, mixtionis corporis, & ſanguinis Chriſti Titulis mittebatur ad hoc. vt per eorundem Presbyteros plebi vniuerſæ adſtanti declararetur Fermentum illud à ſummo Pontifice confectum, & conſecratum cum admixtione vtriuſque ſpeciei, eo conſilio fuiſſe, vt qui cum Catholica Eccleſia ſentirent, & in eius communione manere vellent, dum illud ſumerent profiterentur, ſe ſub ſpecie Panis, & Vini ſimul mixtâ, Euchariſtiam accipere, & tam Panis, quàm Vini Creatorem Deum agnoſcere, & non Principem tene-*

bra-

brarum, vt de Vino in Creatoris omnium iniuriam Manichæi blaſphemi aſſerebant.

Hæc inter alia Latinus: Quibus exiſtimaſſe ſatis colligitur vocem *Fermenti* vtriuſque ſpeciei, corporis nempe, atque ſanguinis Domini commixtionem ſignificatam fuiſſe.

§. III.
R. P. Iacobi Sirmondi ſententia de Fermento.

DOctiſſimus è ſocietate Ieſu Presbyter Iacobus Sirmondus anno 1651. *Fermenti* materiam tractans, diſſertationem ſuam in ſex Capita partitus eſt. Eorum in primo conatur oſtendere Fermentatum Panem in Miſſa olim à Latinis conſecrari ſolitum, ex promiſcuis Populi oblationibus fuiſſe. Quod cum totius ſit Sirmondianæ diſquiſitionis baſis, viſum eſt adamuſſim ipſius verba tranſcribere, tum quòd innumeris eius diſſertatio eruditionibus referta eſt, tum quòd eius exemplaria vt plurimum deſiderantur.

Ita ergo Sirmondus: *Vetus in Eccleſia Chriſtianorum mos fuit, vt qui ad Miſſas celebrandas conueniebant, ſuam vnuſquiſque ſacrificij partem adferret. Itaque quod in præcipuis quibuſdam celebritatibus, cum in Cœlitum numerum cooptatur*

quiſpiam, vel cum inaugurantur Principes, aut conſecrantur Epiſcopi, atque in priuatis etiam nuptiarum, & exequiarum ſolennibus fieri nunc cernimus, vt Panem, Vinumque offerant ij, quorum intereſt; id ferè olim, non ab vno aliquo, ſed ab omnibus præſtabatur. Cuius quidem conſuetudinis apud priſcos Eccleſiæ Antiſtites, tanta fuit religio, vt hanc, ex Synodicis decretis, ne obſoleſceret, ſanciendam putarint, & diſſimulanter non ferendum, ſi quis violaret. Matiſconenſis ſanè Concilij II. Can. IV. apertè extat conſtitutio: Decernimus, vt omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus offeratur, tam Panis, quàm Vini, vt per has immolationes, & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel, vel cæteris iuſtè offerentibus promereantur eſſe conſortes. *Cyprianus vero diuitem Fœminam, quæ hoc more neglecto nihil offerebat, grauiter increpans in Lib. de opere, & Eleemoſynis*: Locuples (*inquit*) & diues es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod Pauper obtulit, ſumis? *Et Auctor incertus, ſed antiquus in Serm. qui* 214. *numeratur inter Auguſtinianos*: Oblationes (*ait*) quæ in Altario conſecrentur, offerte. Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicauerit. *Ex quibus omnibus liquet profectò non ſolùm obtuliſſe in*

Miſ-

Miſſa ſingulos, qui poterant, ita vt ſola excuſaret inopia, verùm has ipſas oblationes conſecrari in Altari, atque immolari conſuéſſe, vnde & Sacrificium dictæ ſunt à Cypriano. Quod ipſum ex Ordine quoque Romano intelligere eſt. Tametſi non omnes conſecrari ſolitas docet, ſed quantum communicaturis ſat eſſet. Archidiaconus (*inquit*) accipiens oblatas ponit tantas ſuper Altare, quantæ poſſunt Populo ſufficere: *Hoc idem denique confirmant, atque hinc lucem pariter accipiunt verba illa ſacris operantis ſacerdotis, in quibus ſubinde Populi ſacrificium, vel hoſtias commemorat. Quale eſt, quod Populum ipſum appellans.* Orate *(inquit)* Fratres vt meum, ac veſtrum ſacrificium acceptabile *ſit* apud Deum. *Et quod Deum alloquens*: Memento *(ait)* Domine omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium. *Et*: Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quæſumus vt placatus accipias. *Et illa rursùm quæ in ferijs Paſchalibus frequentatur*: Suſcipe quæſumus Domine preces Populi tui cum oblationibus hoſtiarum. *Aliaque id genus plurima, quæ priſcum illud tempus reſpiciunt, ex eoque interpretanda ſunt, quando Populi oblationes conſecrabantur.*

Quo igitur argumento doceri clariùs poterat Latinos tunc Azymis in Altari vſos non eſſe, quàm vn-

vn-

vnde conſtet oblatum à Populo Panem conſecraſſe, quem minimè dubium erat vſitatum ſibi, ac Fermento de more temperatum obtuliſſe? Nunc enim ſi quando, vt dictum eſt, in Miſſa Panis offertur, ideo non conſecratur, quia Azymus non eſt, & ſola hodie apud nos Azyma conſecrantur. Quod ſi Azymus offerretur, conſecrari fas eſſet. Vidimus aliquando ipſi non iniucundo ſpectaculo in Armoricis apud Leonices, antiqui moris imaginem referentes Matronas aliquot, quæ die feſto communicaturæ cum in Dominicum veniſſent, adſtantique ad Altare Miſſam celebraturo, ſacerdoti ſingulæ ſuam oblatam, ſed puram, & Azymam, vel domo allatam, vel è ſacrario petitam obtuliſſent, vbi peracta conſecratione ad communionem ventum eſt, ita omnes communicarunt, vt mutuas inter ſe hoſtias participarent, nec culpari vlla poſſet, ſi de alterius (vt Cyprianus loquitur) ſacrificio ſumeret, cum ſuam ipſa viciſſim alteri concederet.

Secundo Capite Fermentati vſum in Latina Eccleſia ab eius incunabulis perſtitiſſe, ac per multa ſæcula continuâſſe demonſtrat, ac pro ſua hac firmanda ſententia, aſſerit etiam per multa ſæcula ex vſuali, ac quotidiano Pane confectas fuiſſe Hoſtias, idque probare intendit S. Ambroſij auctoritate, qui lib. 4. de Sacram. Cap. 4. ſic loquitur: *Tu fortè dicis: meus Panis eſt vſitatus: ſed*

Digitized by Google

ſed Panis iſte, Panis eſt ante Verba ſacramentorum: Vbi acceſſerit conſecratio, de Pane fit caro Chriſti: Hoc igitur adſtruamus; quomodo poteſt qui Panis eſt corpus eſſe Chriſti? conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis fit, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Quam firmum autem, validumque ſit argumentum iſtud, deducitur ex ipſamet Miſſa Ambroſiana à Pamelio relatâ, vbi hæc habentur: *Oblato Panis Azymi.* Qua de re malè Sirmondus interpretatus eſt locum D. Ambroſij, cum pro Pane vſuali venire etiam poſſit Azymus. Citat etiam locum Cypriani, de quo iam ſuprà prout etiam S. Radegundæ, ac Matronæ Romanæ oblationes. De quibus ſuprà in ſæculo 6. diſſeruimus. Nec non Canonem 6. Concilij XVI. Toletani, qui potiùs in Azymi, quam Fermentati fauorem trahitur vt in VII. ſæculo expoſuimus.

Tertiò Photiani Schiſmatis tempore nondum recepta fuiſſe Azyma: eademque, cum, Leone IX. ſummo Pontifice in vſu eſſent, à Græcis impugnari cœpta, demonſtrat.

Quartô ait oblatas ſtudio paratas fuiſſe formâ rotundas, cruciſque titulo inſignitas.

Quinto propiùs ad rem noſtram *Fermenti* vocem explanat, cumque id ad argumentum præſens ſpectet, non abs re fuerit ſi Auctoris verba retulerim.

Sic

Sic ergo Sirmondus proſequitur: *De Fermento in vita Melchiadis, ac Siricij, & in Epiſtola Innocentij ad Decentium, quæ leguntur, quonam referenda ſit, an ad Eulogias, quas Euchariſtiæ vice dari mos fuit, quod Cardinali Baronio viſum eſt. An ad Euchariſtiam ipſam, quod ille fateri vehementer refugiebat, anceps, quorundam iudicio, & ambigua eſt diſputatio, in qua ego ſi quid ſentiam expoſuero, non vereor; ne contra Baronij mentem, votumque facere videar, cum omnes ad hoc ipſum, vt ſuam liberè promant inuitarit: nec me ab eius ſententia diſcedere indignabitur quiſquam, qui meminerit, illum pro ſingulari modeſtiam ſolitum aliena, haud grauatè audire, & ſi meliora ſuis cognoſceret, amplecti libenter. Inde autem commodiùs ordiemur, quàm vnde ſuam ipſe diſſertationem auſpicatus eſt, ab eorum ſcilicet verborum commemoratione, quæ controuerſiam pepereunt. De Melchiade igitur eius vitæ Auctor, ſic ſcribit.* Hic fecit &c. *(Verba Melchiadis omittuntur, cum ſatis ſuprà ſint relata.) In his omnibus locis negat Baronius adduci ſe poſſe vt Euchariſtiam credat Fermentum appellatam. Quid ita?* Quia notiſſimum eſt, *inquit*, Romam, ac ſimul Occidentalem omnem Eccleſiam, non niſi in Azymo Pane conſueuiſſe Euchariſtiam conficere. *Quid tum verò? Et ſi enim falſum id eſſe, quod compertum putat, du-*

dum

dum probauimus. Pro vero tamen, exploratoque nunc habeatur: Quid hoc tandem ad nos, ſi Eucharistiam hîc conſtat Fermentum *ex eo dictam, non quòd ex Pane eſſet Fermentato, ſed quòd ipſa quocumque ex Pane fieret Eccleſijs, ad quas mittebatur, Fermenti vicem præſtaret, eiſque vnionis inter ſe vinculum eſſet, ſicut Fermentum Maſſæ, cui commiſcetur.* O ſacramentum pietatis! O ſignum vnitatis! O vinculum Charitatis! *Ait Auguſtinus in Ioannem Tract. XXVII. Quod ergo illi nomen congruentius potuit imponi, quàm vt* Fermentum *diceretur? cum Euangelicæ quoque parabolæ Fermentum optimi quique interpretes diuerſis verbis, ſed vno ſenſu pronunciârint eſſe;* Τὴν τῆς ἀληθείας διδασκαλίαν. Veritatis doctrinam. *Origenes:* Τὸν θεῖον λόγον. Sermonem diuinum. *Baſilius:* Τὸ κήρυγμα. Prædicationem. *Chryſoſtomus, propterea quod, vt ait Origenes:* Καθάπερ ἡ ζύμη μέγεισα τῷ ἀλεύρῳ ὅλον μεταβάλλει πρὸς τὴν οἰκείαν ποιότητα, οὕτω καὶ ὁ λόγος Θεοῦ ἐν ταῖς λογικαῖς ψυχαῖς ἐμπεσὼν, πάσας μεταμορφοῖ. Quemadmodum *Fermentum* Farinæ commixtum, maſſam vniuerſam in propriam tranſmutat qualitatem, ſic & Dei ſermo in rationales animas accidens, totas ipſas transfigurat in ſe ipſum. *Maneat igitur, quod in principio inſtitueramus, oblationes conſecratas in decreto Melchiadis, ſacram Eucharistiam intelligi,*

non Eulogias. De hoc Fermento, *ſic enim nominabant, vt ad* Eccleſias *ab Epiſcopis mitterentur, primo loco ſanxiſſe Melchiadem Presbyteris Eccleſiarum, ne Miſſas, niſi hoc ſuſcepto celebrarent, interdictum à Siricio. Quo autem die, & quas ad Eccleſias deſtinari oporteret, traditum ab Innocentio. Die, ſcilicet Dominico, & ad ſolas Eccleſias, ſeu Titulos ciuitatum, non ad Parochias foris ſparſas per Diœceſim. Quanquam enim vſus inoleuit, vt Parochiæ nunc aliæ ſint vrbanæ, aliæ ruſticæ, aliter olim res habuit. Nam ruſticarum proprium id nomen erat, ideoque Parochias ciuitatibus opponebant, vt in Concilio Agathenſi Canone XXI. cum iubentur ij, quibus Oratoria per agros extra Parochias habere, atque in his Miſſas tenere permiſſum eſt, in præcipuis tamen feſtiuitatibus,* non niſi in Ciuitatibus, aut in Parochijs *eas tenere. Et in Concilio V. Aurelianenſi Can. VIII.* aut in ciuitatibus, aut per Parochias ordinare Clericos. *Quod diſcrimen non ignorans Dionyſius Abbas, quia* Fermentum *ſciebat ad Ciuitatenſes tantùm Eccleſias dirigi, Titulum Innocentij decreto congruentem affixit.* De Fermento Ciuitatis Presbyteris dirigendo. *Parochiarum porrò, & Cœmeteriorum Vrbis Presbyteris, quibus expectandi Fermenti lex impoſita non erat, conficiendorum ſacramentorum integrum ius fuit, atque licentia. Quare his ad hunc modum*

dum explanatis, & ſcrupulus opinor exemptus eſt Baronianus, & ad intelligentiam reliqua patefacta, & aperta ſunt omnia.

Ex quibus liquidò iam apparet, Sirmondum opinari, Euchariſtiam olim ex quocumque Pane ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio confectam fuiſſe. Deinde per multa ſæcula ſic continuatam, vnde *Fermenti* ſumpſerit denominationem, eo quòd inſtar Fermenti, quod Panis maſſam commiſcet Fideles vinculo pacis ſociaret.

§. IV.
Eminentiſſimi Cardinalis Bonæ ſententia de Fermento.

ANno 1671. Eminentiſſimus Cardinalis Bona duos rerum Liturgicarum libros Romæ edidit, qui denuò anno 1676. Pariſijs impreſſi fuerunt, at notabiliter aucti. Deinde ſequenti anno Bruxellis, iterumque Pariſijs anno 1678.

Vt ſaltem hinc colligas eorum librorum eruditionem, atque doctrinam. Hic igitur laudandæ vbique gentium, mihique inter cæteros maximè honorandæ memoriæ Eminentiſſimus Auctor Rerum Liturgic. lib. 1. cap. 12. num. 16. videtur Sirmondi opinionem circa *Fermentum* ſectari. Verumtamen *Fermentum* ipſum ſumit pro Fer-

mentato. Quod nec Sirmondus, nec Latinus aſſeruerunt. Demonſtrare vlteriùs nititur Fermenti vſum ad nonum vſque ſæculum viguiſſe, *Fermentumque* Euchariſtiam fuiſſe, non Eulogias: refert etiam Epiſtolas Latini Latinij, & Antonij Auguſtini, & eorumdem opinionem refellit. Concludit denique Euchariſtiam iure *Fermentum* denominari potuiſſe, quia ex Fermentato erat. Symbolicè etiam eo quòd vnitatis ſignum eſſet, & vinculum Charitatis. At poſt Romanam editionem, ſuam hanc opinionem ſequenti declaratione, paginâ ad partem impreſſâ, ſuoque rerum Liturgicarum Libro adiunctâ temperauit, vt infra.

Monitio ad Lectorem.

VIx emerſit è prælo hic Liber, quùm ſtatim intellexi diſplicuiſſe nonnullis rem non ſatis intelligentibus, aut in ſenſum à meo alienum detorquentibus. Quòd Lib. I. Cap. XXIII. aſſerui vſum Fermentati diù viguiſſe in Eccleſia Latina. Viſum igitur eſt mihi omnem ſcrupulum è mentibus illorum tollere, & ſtatum controuerſiæ clariùs explicare. Tres ſunt eius quæſtiones. Prima eſt, an Chriſtus, quando inſtituit Euchariſtiam, Azymo vſus ſit, vel Fermentato? Secunda, an in vtroque valida ſit conſecratio? Tertia, in

quo

quò Pane conuenientiùs fiat? Hæc tria ſunt, quæ magno ardore inter Græcos, & Latinos agitata ſunt. Ego autem ad I. aſſerui cum omnibus Orthodoxis, Chriſtum in vltima cœna Azymum conſecraſſe. Ad II. quoque dixi validam eſſe conſecrationem tam in Azymo, quàm in Fermentato. Ad III. affirmo conuenientiùs omninò eſſe in Azymis conficere, & Chriſti exemplum ſequi. Dixi tamen ex facto Chriſti non concludi ita neceſſariò faciendum: nam Orientales Fermentato vtuntur, præcipientibus Apoſtolicis conſtitutionibus, vt ſingulæ nationes ſuum ritum ſeruent. An verò Eccleſia Latina aliquando Fermentato vſa ſit, res facti eſt, nullo modo ad dogma pertinens, ſed ad ritum, qui mutationem, & nouitatem admittit, vt Lib. I. Cap. VI. §. I. oſtendo. Cùm itaque in hoc Libro propoſitum mihi fuerit hiſtoriam ſcribere, quæ ſoli auctoritati innititur, ea tradidi, quæ apud priſcos ſcriptores inueni. Obſecro autem viros doctos, vt primò obſeruent me paſſim vti nominibus opinionis, & coniecturæ: Tum dixi: *Me paratum eſſe certiora docentibus ſtatim, & ex animo conſentire*: Et in fine Lib. II. Lectores precatus ſum, *vt ſi quid incautiùs ſcripſi, ignoſcant, corrigant, & emendent*. Rem ergo gratiſſimam facient, ſi prolatis ex antiquitate teſtibus, amicè oſtenderint me erraſſe.

De-

Digitized by Google

Deinde obſeruare debent, quod initio §. VII. dico, Apoſtolos Panem conſecraſſe, ***qualem in domibus fidelium reperiebant***. Non dico Fermentatum, ſed qualem reperiebant, ſiue Azymum, ſiue Fermentatum; præſertim apud Hebræos, qui certis diebus Azymis vtebantur: qua in re Arcudio conſentio, qui lib. 3. de Sacram. Cap. 3. ait veriſſimile eſſe Apoſtolos pro varietate locorum, gentium, & temporum, modò Azymo, modò Fermentato vſos fuiſſe. Et §. 3. dixi, quod ſæuiente perſequutione ***Azymum ſemper habere non poterant***: Ergo pro certo pono aliquando habuiſſe. At inquiunt me multa congerere ad probandum, quod vſus Fermentati per octo ſæcula perſtiterit in Eccleſia Occidentali. Fateor, ſed non excludo vſum Azymi: nam veterum Patrum, & Hiſtoricorum teſtimonia, quæ profero, non niſi pro ſuis Eccleſijs, & prouincijs, & temporibus probant. Nec adeò Dialecticæ ſum ignarus, vt neſciam argumentum ab inductione non concludere neceſſariò, niſi omnia ſingularia ſufficienter enumerentur, quod difficillimum eſt. Denique nunquam dixi Eccleſiam aliquo præcepto vſum Fermenti vniuerſaliter decreuiſse: quod tamen aſseueranter dicunt Principes Theologorum S. Thomas à me citatus §. 5. S. Bonauentura 4. Sent. Diſt. 11. Art. 2. Qu. 1. Scotus ibid. Qu. 6. Durandus.

dus. Qu. 41 & his antiquior Alenſis P. 4. de Sacr. Euch. Qu. 10. memb. 4. Art. 1. §. 3. narrantes Hiſtoriam Ebionitarum, de cuius fide ago eodem §. 5. Et hunc vſum docent, donec viguit illorum hæreſis, vbique permanſiſse. Ergo vſus Fermenti, vt iſti aſserunt, eo tempore communis fuit, & ab eorum opinione ego non diſcrepo, niſi quod eundem vſum in quibuſdam locis ad plures annos extendo. Omitto plura, nam hominibus eruditis, & bonæ voluntatis, iſta ſufficiunt: alijs nec integra volumina ſatisfacient. Hanc autem paginam claudo præclarâ Quintiliani ſententiâ, quâ & S. Hieronymus in caſu non diſſimili vſus eſt. *Felices artes, ſi de ijs ſoli artifices iudicarent*.

§. V.
Chriſtiani Lupi iudicium de Fermento.

REparatæ ſalutis anno M.DC.LXIII. vir eruditiſſimus iſte edidit tertiam partem Decretorum, & Canonum Synodorum Generalium, Prouincialiumque, vbi, vti cætera, de actis S. Leonis IX. diſsertationem elegantiſſimam texuit, eandemque in ſexdecim Capita diſpertiuit; In quorum nono, quod ſubdiuiditur in quæſtiones, & inſtituto, intentionique noſtræ conducit, de præ-

præfatis Melchiadis, & Siricij decretis, atque Innocentij Epiſtolâ, plura congerit.

Porrò in prima quæſtione quærit, quiſnam huiuſmodi *Fermenti* mittendi ſcopus, ac ratio fuerit? reſpondet cum eodem Innocentio. *Vt ſe à noſtra communione præſertim illa die non iudicent ſeparatos*. Atque hoc magni momenti rationibus adſtruit.

Indagat præterea ſecundâ quæſtione, num primus fuerit Melchiades, qui ſæpè dictum decretum ediderit? idque negat, exemplo, ſeu Hiſtoriâ ductus Tharſitij Acolyti, & Martyris (fuit hic Melchiade antiquior) quem cum Ethnici comperijſsent Dominici corporis Sacramenta aſportantem, atque eadem conſtantiſſimè occultantem, tandiù fuſtibus, & lapidibus cæciderunt, donec animam exhalaret.

In Tertia quæſtione examinat quænam fuerint Vrbis Cœmeteria.

In Quarta an *Fermentum* fuerit Euchariſtia? ſequiturque Sirmondum, id eſse, affirmantem, contra Baronium.

Quærit in Quinta, an *Fermentum* hoc Fermentatum re verâ fuerit? idque negat.

In Sexta autem plurima proſequitur circa tranſmiſſionem *Fermenti*, quæ tamen cùm noſtra nihil interſint, miſsa faciemus, id peculiariter animaduer-

maduertentes: Chriſtianum Lupum ſentire vnà cum Sirmondo, ***Fermentum*** idem ac Euchariſtiam fuiſse.

CLASSIS III.

Sententiam illorum expromit, qui Eulogias, ſiue Panem benediƈtum, Fermenti *vocem denotare crediderunt.*

§. I.

Reuerendiſſimi Nicolai *Cardinalis Cuſani, ſiue de Cuſa ſententia de* Fermento.

SAlutis noſtræ anno M.CCCC.XXXI. Celebrata fuit Synodus Baſileenſis, ad quam cum euocati eſſent, ac ſe contuliſſent Bohemi, varijs, & iniquis poſtulationibus Eccleſiam perturbârunt. Harum poſtulationum præcipua fuiſſe creditur communio ſub vtraque ſpecie. His permotus Reuerendiſſimus Nicolaus Cardinalis Cuſanus, ſiue de Cuſa Brixinenſis, vir de literis optimè meritus, Epiſtolam ſcripſit ad Bohemos 2. Octobris, anni 1452. quæ inter eius Epiſtolas ſeptima eſt: In hac omni niſu contendit inſtantiam Bohemorum, petitionemque repellere, atque improbare. Inter cætera autem, quæ in hac Epiſto-

la exequitur, hanc de Fermento ſententiam profert. *Romana Eccleſia Fermentatum Panem benedixit pro Populo, Azymum conſecrauit; & Romani Pontifices per Acolytos diebus Dominicis miſerunt Fermentatum ſacerdotibus, qui tunc in Titulos celebrabant, ne ſaltem pro illis diebus communione Pontificis carerent, vt in antiquis obſeruationibus legitur: Fuit enim ſtatutum, quod ſaltem in Dominicis Miſſæ dicerentur in Parochijs. Ideo tunc ſacerdotes erant in Titulis, & communicabant cum Pontifice per Fermentatum, & ſicut Pontifex miſit ſacerdotibus infrà Vrbem: Ita Archidiaconi ſacerdotibus extrà Vrbem. Vna autem Eccleſia non habebat, niſi vnum Sacerdotem, & ceſſauit rigor primitiuæ Eccleſiæ.*

Sentit ergo Cuſanus *Fermentum* à Romanis Pontificibus mitti ſolitum, non Euchariſtiam ipſam, ſeu conſecratum Panem, ſed benedictum dumtaxat, ſcilicet Eulogias, ſignificaſſe.

In hac igitur Cardinalis Cuſani allegatione duo natatu digna videntur. Primum ipſum non ſolùm dicere, quod Pontifex mittebat *Fermentum* Presbyteris intra Vrbem, verùm etiam quod Archidiaconi ipſum Sacerdotibus extra Vrbem *Fermentum* mittebant. Sed Archidiaconos hanc *Fermenti* miſſitationem feciſſe nullum apud Auctorem reperi. Secundum quod hîc in Vrbe prout

in

in alijs Ciuitatibus vnus tantùm Archidiaconus erat. Vnde fortaſſe hic Amanuenſis lapſus eſt, qui loco *Archidiaconus* poſuit *Archidiaconi*.

§. II.

Eminentiſſimi Cardinalis Baronij iudicium de Fermento.

HIc vtique & ſapientiâ, & dignitate Eminentiſſimus Auctor, qui duodecim ſuis Libris, & mole, & omnigenâ eruditione ampliſſimis; vniuerſam Eccleſiam, atque Eccleſiaſticam Hiſtoriam ornauit, atque in immenſum locupletauit; ad annum 313. num. 49. & ſequentibus, de *Fermento* ſententiam inſtituens, refert primò Melchiadis, & Siricij decretum, nec non ſuprà memoratam Epiſtolam Innocentij I. Subijcit poſtea: Hæc continentur in quodam antiquo Rituali, nempe: *Quintâ Dominica in Quadrageſimâ Sabbato datur* Fermentum *in Conſiſtorio Lateranenſi*.

His præmiſſis de voce *Fermenti* ſuam ſententiam profert, aſſerens Fermentum in Romana Eccleſia Symbolum vnionis fuiſſe, idque nonnullis argumentis probat. Primò quod *Fermenti* conſecratio idem eſt ac benedictio. Deinde quod *Fermentum*, erat idem, ac oblatio, vn-

de inquirit quidnam oblatio eſſet, eamque fuiſſe oſtendit, quæ à Populo offerebatur, quâ poſtea benedictâ, & minutim conciſsâ, eius particulæ, Eulogiæ denominatæ, in ſingulos Fideles diſtribuebantur, vt qui è ſacratiſſima Euchariſtia minimè communicaſſent, hoc ſaltem alio communionis ſigno, Fideles eſſe reputarentur. Diuerſis inde auctoritatibus pro ſua firmanda ſententia relatis, ita concludit. *Ex his igitur omnibus conſtat, nihil aliud fuiſſe* Fermentum, *quàm Fermentatum Panem benedictum, quo ob communicationis ſymbolum ab Epiſcopo impartirentur cuncti Parochiales Presbyteri, qui eundem ſub ſe conſtitutis Fidelibus diſtribuerent certis diebus: ipſum verò diuerſis nominibus appellatum, nimirùm* Fermentum, *ad diſtinctionem Azymi Panis, ex quo ſoleret confici Euchariſtia, dictumque eſſe ſacramentum ob ſacræ rei ſignum, nempè Catholicæ vnionis, ſacerdotali benedictione conſignatum; ob idque benedictionem itidem, & Eulogias dici conſueuiſſe.*

§. III.
Seuerini Binij ſententia de eadem Fermenti *voce.*

BAronium, vt in alijs, ita & in *Fermenti* explicatione, ſequutus adamuſſim eſt Seuerinus Bi-

Binius egregius cæteroqui ſcriptor, qui notis illis eruditiſſimis, quas adiecit Concilijs, non ſolum hæc, ſed vniuerſam etiam Eccleſiam, atque eruditorum rempublicam illuſtrauit.

Binius igitur hiſce verbis Melchiadis decretum exponit: *Locus ſanè obſcurus; ita tamen explicandus: Melchiades Pontifex inſtituit, vt Panem Fermentatum à Populo, aut Presbyteris oblatum, ab Epiſcopis conſecratum, ſingulorum Titulorum, aut Parœciarum Presbyteri, in ſymbolum Catholicæ vnionis, ac communionis, non modò ipſi acciperent; verùm etiam alijs Fidelibus ſub ſe conſtitutis, qui ſacratiſſimâ Eucharistiâ non communicaſſent, certo tempore diſtribuerent. Explicatio hæc declaratur optimè ex antiquiſſimo Canone Pij Papæ, & Martyris ſuperextante, qui ſic habet:* Vt de oblationibus, quæ offeruntur à Populo, & conſecrationibus, quæ ſuperſunt, vel de Panibus, quot deferunt Fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis Presbyter conuenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, & conuenienti, vt poſt Miſſarum ſolennia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias (id eſt Panem benedictum) omni die Dominico, & in diebus feſtis ex inde accipiant, quæ cum benedictione priùs faciat. *Item ex illo Innocentij Epiſtolæ ad Decentium Cap. V. vbi ſic ait:* De *Fermento* verò, quod die Dominico per Titu-

Titulos mittimus, ſuperfluè nos conſulere voluiſti: cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra Ciuitatem ſint conſtitutæ, quarum Presbyteri, quia die iſto propter plebem ſibi commiſſam nobiſcum conuenire non poſſunt, ideo *Fermentum* à nobis confectum per Acolytos accipiunt, vt ſe à noſtra communione, maximè illâ die, non iudicent ſeparatos. ***Vnde patet ipſum Panem in Symbolum vnionis, & communicationis Catholicæ, conſecratum, acceptum, ac diſtributum, alibi*** Fermentum ***benedictum, alibi oblationem, alibi Eulogias, ſeu benedictiones, aut conſecrationes, alibi (nimirùm Epiſtolâ quadam Epiphanij ad Hormiſdam Papam) Sacramentum appellari diuerſas ob cauſas; ad diſtinctionem Panis*** *Azymi, ex quo Euchariſtia conficiebatur, nominabatur* Fermentum, *ſeu Panis ex maſſa Fermentata formatus, quia ex Pane Fermentato maſſa coagmentata ad benedicendum, à plebe, vel à Presbyteris offerebatur, idem Symbolum vnionis, dicebatur oblatio. Quòd Epiſcopali conſecratione Panis oblatus benediceretur; Eulogia, Benedictio, aut Conſecratio nominabatur. Demum, quòd ad ſignificandum Catholicam vnionem Epiſcopali benedictione conſignaretur, Sacramentum eſt appellatum; hanc cæremoniam non tantùm in Romana, & Occidentali, ſed etiam in Orientali Eccleſia ſeruatam fuiſſe, ex Canone XIV. XXXII. & XLIX.*

Con-

Concilij Laodiceni conſtat; Vbi dicemus, præter publicas Eulogias, de quibus hîc, fuiſſe alias priuatas, quas amici intra ſe vltrò, citròque dare, atque accipere conſueuerant.

Hæc Binius, qui etiam in Innocentij Epiſtolæ verba: *Intra Ciuitatem ſunt conſtitutæ.* Has notas addidit: *De Titulis tantùm intelligit, ad quos, ait,* Fermentum *mitti ſoleret; non quidem, quòd non eſſent in ſuburbijs aliæ complures Eccleſiæ, atque Sanctorum memoriæ, ſed quòd nulla prorſus Titularis eſſet, in qua Populus colligi conſueuerit. Cuius rei causâ ait ſe non mittere* Fermentum *ad Presbyteros per diuerſa Cœmeteria conſtitutos; quòd illi plebem ſibi ſubditam, quam colligerent, non haberent, ac proinde nullus poſſet eſſe vſus Fermenti, quòd ob Catholicæ communicationis ſymbolum confectum eſſet. Quod itaque non ipſe faceret Pontifex, vt ad Presbyteros extra Vrbem in Cœmeterijs conſtitutos* Fermentum *mitteret, ſignificat id minus facere debere Presbyteros Titulares, vt ad poſitos extra mœnia* Fermentum *mitterent. Hoc eſt quod ſubdit.* Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda ſunt ſacramenta. *Erant enim inſtituta, vt ſinguli Fideles in ſuas ipſorum Eccleſias diuerſis licèt in locis poſitas conuenientes, eo communicationis Symbolo Catholici eſſe cenſerentur; ac proinde nequaquam abſentibus*

bus impertienda erant, qui eo ipſo quod cum cæteris præſtituto die non conueniſſent, ſe illis indignos reddiderant, neque facilè, niſi legitimè probatâ causâ, vel non ſine pœnitentia in communicationem Fidelium in poſterum iuxta Canones admitti deberent. Vnde id quod Innocentius Decentio reſpondit, facilè intelligi poteſt. Interrogabat Decentius, an exemplo Romani Pontificis ad abſentes Fermentum *mittentis, liceret etiam Epiſcopo ad rurales Eccleſias idem* Fermentum *mittere? Reſpondit Innocentius id exemplo Romanæ Eccleſiæ, ſuperfluè quæri, cùm illæ omnes Eccleſiæ, ad quas Papa* Fermentum *mittit, intra Vrbem ſint conſtitutæ: foras efferri non permittat; quòd ſacramenta non ſunt longè portanda, ac proinde Romanæ Eccleſiæ exemplo* Fermentum *extra mœnia ab alijs Eccleſijs non rectè mittatur.*

Non longè portanda ſunt Sacramenta. *Fermentum hoc loco ſacramenta appellat; ideò quòd ſit ſacræ rei, Catholicæ nimirùm vnionis ſignum ſacerdotali benedictione conſignatum, vt ſupra diximus. Per ſacramentum hoc loco nequaquàm Eucbariſtiam intellexiſſe, ſatis ſuperque ſufficiet notiſſimum illud adducere, Romanam, ac ſimul Occidentalem omnem Eccleſiam, non niſi in Azymo Pane Eucbariſtiam conficere conſueuiſſe.*

Ex quibus luce clarior apparet mens Seuerini

Bi-

Binij Baronium ſequentis, ſumentiſque *Fermentum* pro Eulogijs, eoquod Eulogiæ, confici ex Pane Fermentato ſolerent, ad diſcrimen Euchariſtiæ, quæ ex ſolo Azymo perficiebatur.

§. I V.

Theophili Raynaudi ſententia circa Fermentum.

POſt Binium Theophilus Raynaudus plurimæ lectionis, atque eruditionis vir, qui anno 1645. in ſuo *Candelabro ſancto diuinæ Menſæ*, Auenione Typis mandato, Sectione 4. Cap. 2. pag. 305. de *Fermento* loquens, opinatur: Quod licèt olim Summi Pontifices Euchariſtiam ad Epiſcopos in fraternæ charitatis ſignum mittere conſueuerint, ad reliquos tamen Chriſtianos non Euchariſtiam, ſed loco eius communem Panem Fermentatum, ſeu benedictum, tranſmitterent. Idem Auctor in alio opere, cui titulus: *Chriſtus Deus homo*. Antuerpiæ impreſſo. Lib. 2. Sect. 5. Cap. 12. num. 395. de eodem *Fermento* ſermonem habens, refert, primò ſuperiùs à nobis allata loca Melchiadis, Siricij, atque Innocentij; poſtmodùm recenſitâ ſententiâ Baronij, ſuam ſic aperit: *Nolo Iudicium ſcriptoris æternâ memoriâ digniſſimi interpellare*. Fermentum *tamen ab ipſo*

Pontifice, ſiue Epiſcopo benedictum pro ***Pane*** *ex eo* Fermento *confecto accipiendum eſſe, non video quid euincat; cum miſſum potiùs* ***Panem Fermentatum*** *ab Antiſtite ipſo, benedictum, procliuius ſit exiſtimare. Declaratum item* Fermentum, *idem eſſe, quod denominatum, ægrè perſuadetur; cum ſit in promptu natiua vocabuli notio opportunè cadens in hunc locum, ferenſque myſteria in* Fermento *latentia cum dirigeretur declarata fuiſſe, ſiue ex breui quapiam formula, tunc recitata, ſiue ex doctrina declarata in* Eccleſia, *innotuiſſe dantibus, & accipientibus* Fermentum *illud; nempe, non modò ad ſignum communionis Catholicæ, ſed etiam, & quidem primò ad deſignandam radicem noſtræ inter nos, & cum Chriſto communionis, quæ ex vnione humanitatis ad Verbum Dei illam Fermentans, eſt deriuata. In hanc ſiquidem coniunctionem primò, ac præcipuè collimaſſe Myſterium illud, & ſacramentum* Fermenti, *(ſic enim Innocentius ſuprà nominat, quod Iuſtellus ad Canones vniuerſæ Eccleſiæ, & alij nonnulli perperàm acceperunt de Euchariſtiæ ſacramento,) argumentum eſt, quod hæc ſit primaria* Fermentatio, *cuius eſt in ſcripturis mentio: Vnde noſtra quoque cum Deo* Fermentatio, *& in vnam fidem coniunctio ortum habuerit.*

Vides iam Raynaudum accedentem Baronio,

Fermentum videlicet accipere pro *Fermentato* Pane, eoque benedicto, non autem conſecrato. Quocircà ſuperuacaneum fuerit alia eiuſmet Auctoris teſtimonia referre, quæ habentur Tom. VI. Sect. 4. Cap. 2. §. 3. num. 22. pag. 153.

Et Tom. 1. locis citatis 224. poſtremæ ac magnæ Lugdunenſis editionis anno 1665. ac prædictam ipſius opinionem confirmant.

§. V.

P. Franciſci Macedo placitum de Fermento.

VIx lucem publicam ſortiti fuerunt ſacræ Liturgiæ Libri Eminentiſſimi Cardinalis Bonæ, in quibus quid ipſe de *Fermento* ſentiret, oſtenderat, cum plurimæ, diuerſæque de eadem re opiniones inſurrexerunt. Primus autem in hac Vrbe publicè diſſentire viſus eſt R. P. Macedo, qui Veronæ anno 1673. Librum edidit, cui titulus: *Diſquiſitio Theologica de ritu Azymi, & Fermentati*. Quia verò plurima in eo ſunt, eaque profectò non inerudita, viſum mihi eſt paucis quidquid in Auctoris huius diſſertatione continetur, amplecti.

Porrò hanc Auctor in ſexdecim capita diuidit. In quorum primo vſum conſecrandi in Azymo Chriſti exemplo introductum oſtendit.

Digitized by Google

In Secundo eundem hunc vſum Romanæ Eccleſiæ familiarem olim fuiſſe.

In Tertio non modò Latinam, verùm etiam Eccleſiam Græcam ante Michaëlis Cerularij tempora in Azymo conſecraſſe.

In Quarto nunquam apud Latinam Eccleſiam ante Cerularium prædictum, & Leonem IX. Papam in vſu *Fermentum* fuiſſe. Proſequiturque hac eleganti metodo vſque ad vndecimum, licet ab inſtituto noſtro plurimum diuagetur.

Vndecimo tamen capite propiùs ad rem, de qua agimus pertractandam accedens, contra ſumentes pro Fermentato *Fermentum*, ſic arguit: *Siue illud Fermentum ſit Euchariſtia, ſiue non, non ſequitur conſecratio Euchariſtiæ in Fermento; Si eſt Euchariſtia, potuit Panis Azymus Fermenti nomine appellari*. Subdit poſtea: *Sentio illud Fermentum non eſſe Euchariſtiam, ſed Eulogiam ex* Fermento, *ſiue ex Pane Fermentato confectam, eoque nomine appellari, vt diſtingueretur ab Euchariſtia*. Ac deinde: *Vox enim* oblationes *in Melchiadis decreto relata, ſonat Panes illos benedictos, qui Charitatis fraternæ causâ per Eccleſias mittebantur. An ne Euchariſtia conſecrata ab Epiſcopo, ad alias Eccleſias mitteretur? Quid abſurdius, quid à decore alienius? nonne erant in his Eccleſijs ſacerdotes, qui Euchariſtiam conſecrarent? ſolus Epiſcopus in ſua*

Dioe-

Digitized by Google

Diœceſi conſecrabat? expectanda erat omnium ab eo ſolo communio? Alij Presbyteri otiabantur? non ſacrificabant? non conſecrabant?

At reſpondebit quiſquam, Epiſcopum non mittere illam Euchariſtiam pro Communione omnium, ſed tantùm vnum Panem conſecratum per ſingulas Eccleſias, qui eſſet Symbolum, & ſignum vnionis. Hoc autem negat, interrogatque.

Ille Panis Euchariſticus manebat, ne integer, in ſacrario? incluſus, intactus, & illibatus, an diſtribuebatur, & diuiſus in partes ſumebatur à Fidelibus? Reſpondet. *Integer non manebat, nam per ſingulas Dominicas mitti conſueuerat; quod argumento eſt non remanere integrum alium, antea miſſum: nec enim renouari opus eſſet, cum ille ſupereſſet. Igitur ſumebatur pro communione: ex quo ſequitur, quod aſſumpſerant ex eo communicare Fideles, non ex conſecrato à ſuis Parochijs. Deinde vnus Panis ſatis non erat omnibus communicaturis; oportebat igitur plures mitti, & omnes ex ijs participare, ac pro inde ſuperflua erat conſecratio Parochi. Præterea admiſſo; ex eo* Fermento *Euchariſtico communicare omnes, & ad eum finem mitti Euchariſtiam, ſequitur omnes Fideles ſingulis quibuſque Dominicis ſumere Euchariſtiam. Ad idque conſuetudine teneri, quod abhorret ab Hiſtoriarum veritate.*

Nec

Nec opponas Euchariſtiam mitti ad eum ſolum finem, vt eſſet Symbolum vnionis, & Charitatis. Nam iſte finis non decebat tanti Myſterij dignitatem, poteratque fieri per Panes benedictos, & Eulogias.

Ponderat deinde Siricij verba: *Niſi conſecratum Epiſcopi, quod nominatur* Fermentum. *Si Fermentum declaratum (*ait*) erat conſecratum, atpro inde Euchariſtia, igitur illis diebus Presbyteri non conſecrabant, ſed accipiebant ab Epiſcopo Euchariſtiam, & ex conſequenti minimè celebrabant.* Deinde: *Quid opus erat miſſitari toties ſacroſanctam Euchariſtiam?* Subditque: *Vox illa*: declaratum, *ſignificat aliquam notam impreſſam Pani, vt diſcerneretur ab alio Pane Vulgari, ac minimè benedicto, quæ nota eſt aliena à ſacroſancta Euchariſtia, quæ non indigebat illo ſigno, vt diſcerneretur ab alijs Panibus: ſatis enim per ſe diſtinguebatur, & ſuâ reuerentiâ prodebat: Igitur illud* Fermentum *erat Panis benedictus, atque adeo Eulogia.*

Pergit ad examen Epiſtolæ Innocentij de *Fermento*, quod die Dominico mittebatur, quod ſic exponit: *Fermentum illud quod mittebatur die Dominico, non erat Euchariſtia, cùm illo nec Populus, nec Sacerdos indigeret; & nouâ coniecturâ id ſuadetur, quia de eo non dubitaret Decentius, ſi Euchariſtia eſſet. Deinde cauſa ab Innocentio allata*

lata Euchariſtiam non eſſe probat. Ea huiuſmodi eſt; Non poſſe Presbyteros ſecum conuenire ad ſignificationem coràm exhibendam concordiæ, & vnionis inter ſe; idcircò mitti Fermentum, *quòd ſuppleret illam abſentiam, & teſtaretur coniunctionem animorum. An tu dixeris Lector, ideo mitti Euchariſtiam, vt ſuppleret Eulogiam? Finis ille:* Vt ſe à noſtra communione illâ die non iudicent ſeparatos, *longiùs abeſt ab Euchariſtiæ dignitate, quàm vt eò ſit reuocanda. Exceptio autem illa:* Per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda ſunt ſacramenta, *meam ſententiam corroborat. Non enim opus erat, ad Eccleſias remotas illud Symbolum Charitatis mittere, cùm longitudo itineris obſtaret, ſicuti nec ad Cœmeteria, cùm eſſent recondita, & abſtruſa, & nonnulla extra Ciuitatem. Poterat quippè ſuppleri illud Symbolum* Fermenti *Pontificis per aliud* Fermentum *confectum à Presbyteris in ijs Parochijs, & Cœmeterijs conſtitutis, qui mutuò ſe poſſent ijs Eulogijs ad charitatem inuitare. Obſerua Lector, illa verba in fine.* Eorum conficiendorum ius habent, atque licentiam, *ideſt Panum benedictorum Eulogiarum, non Euchariſtiæ rem continere: ad hanc enim conſecrandam non indigebant Presbyteri iure, ac licentia, cùm ad poteſtatem Ordinis pertineret, in quam non quadrant* Ius & licentia, *qui*

ſunt

ſunt termini Eccleſiaſticæ poteſtatis, immò ijs verbis ſignificatur alijs etiam, non Presbyteris illud ius, ac licentiam conuenire. Inſuper addit: *Iſtud Fermentum mitti ſolebat per Acolytos vt eſt in textu, non autem per Presbyteros, aut Diaconos, quorum proprium erat Miniſterium deferendi Eucharistiam.*

Opponit deinde ſe varijs, verboſiſque rationibus opinioni Latini Latinij, atque ita diſſerit: *Si Panis, qui mittebatur erat conſecratus, Preſbytero bis ſumendum erat Chriſti corpus, & quod conſecrârat in Miſſa, & quod miſſum erat à Pontifice. Tum quòd: Tanta Populi multitudo non poterat ex illo* Fermento, *ſine Euchariſtia miſſa communicare, cum vnus tantùm Panis mitti ſoleret; niſi dicatur plures, & qui ſatis eſſent ad communionem Fidelium mitti, quod videtur improbabile: quomodo enim poſſet tanta copia Panis parari? Quomodo poſſet ſufficere multitudini Fidelium concurrentium? Quantis caniſtris opus eſſet ad illam turbam reficiendam? cum præſertim ſinguli pro ſe quiſque de illa Euchariſtia, quæ à Papa veniebat participare cuperent, atque adeo maior eſſet turba Conuenientium, quàm vt ijs ſufficeret Panis delatus.*

Aliam etiam pro ſuæ ſententiæ robore rationem addit, videlicet: *Illud Fermentum ponitur*

ſine

ſine vlla mentione conſecrationis Vini, nec enim vſquam legitur ſimul cum Vino, ſed inuenitur ſolitariè confectum, & ſeorſim miſſum; Hoc autem pugnat cum conſecratione Euchariſtiæ, quæ intra ſacrificium fieri debuit, debetque, euertit ergo illud Fermentum *rationem ſacrificij*. At cum reſponderi poſſit conſecrari *Fermentum* ſimul cum calice, ſed mitti ſeparatum, replicat, quod *erit difficile: nam loquendi modus Auctorum indicat ſeorſim tum confici, idque innuit particula illa*: à nobis confectum. Et poſt paullum: *Et obſeruo vocem* confectum *non quadrare in Euchariſtiam, cuius materia confecta ſupponitur, non conficitur à ſacerdote. Conficitur quidem Euchariſtia in Pane, vel ex Pane, ſiue Azymo, ſiue Fermentato; ſed non conficitur Panis à ſacerdote*. Paucíſque interiectis: *ſi illud ergo* Fermentum *erat Euchariſtia congruentius eſſe videbatur, ſi cum Vino pariter mitteretur, quando ſimul cum Vino conſecrabatur: cum præſertim ijs temporibus communio ſub vtraque ſpecie frequentaretur*.

Verùm agnoſco quidem in his me nimis diù moratum eſſe, & in longum ſermonem traxiſſe: at eruditio Scriptoris in cauſa eſt, quem ex his, quæ fusè retulimus, facilè vnicuique agnoſcendi facultas eſt, haud vnquam *Fermenti* nomine Euchariſtiam venire ſenſiſſe.

§. VI.
Antonij Dadini Altaſerræ ſententia de Fermento.

ANno MDCLXXX. Eruditiſſimus Vir Antonius Dadinus Altaſerra edidit Librum, cui titulus: *Notæ, & obſeruationes in Anaſtaſium de vitis Romanorum Pontificum*. In his autem notis, vbi agit de Melchiade, & Siricio, opinatur *Fermentum* pro Pane Fermentato accipiendum eſſe, non quidem conſecrato, ſed ſolummodo benedicto. Quare cum ipſe paucis ſe expediat, paucis etiam eius ſententiam refero.

§. VII.
Ioannis Cabaſſutij de Fermento *iudicium*.

ECcleſiaſticâ eruditione clariſſimus Ioannes Cabaſſutius in ſua Notitia Eccleſiaſtica ſecundò editâ anno 1685. in Sæculo II. Diſſertat. 12. agit de *Fermento*, & quidnam inter priſcos Eccleſiæ Romanæ ritus fuerit. Ad hanc autem quæſtionem enodandam, Melchiadis, Siricij, & Innocentij I. Romanorum Pontificum loca ſuperiùs adducta breuiter perpendit. Subiungitque, quod ſi quis dixerit pro *Fermento* accipi *conſecratum*, vel

Sa-

Digitized by Google

Sacramentum, reſponſio in promptu eſt, quoniam eiuſmodi Vocabulis Eulogias quaſcumque exprimere conſueuere[1]. Qui verò hæc opinati ſunt, nonnullos errores introduxerunt.

Primum: *Fermentum* nihil aliud fuiſſe, quàm adorandum Chriſti corpus.

Secundum: Erroneam fuiſſe perſuaſionem Eccleſiæ Romanæ, aut nunc eſſe, quòd ab initio Fermento conſecraſſet. Nunc verò oppoſitum ab eadem Romana Eccleſia doceri, & diſtrictè iuberi, quaſi Petri, & Pauli inuiolabile præceptum, vt non aliter in Romana Eccleſia, niſi in Azymis ſacrificetur.

Tertium: Etiam ſi pace Eccleſiæ ſtabilitâ, & plures in hac Vrbe ſparſæ eſſent Baſilicæ, Pontificio decreto cautum fuiſſe, ne pluſquam in vna eiuſdem Vrbis Eccleſia, neue plus vnâ per totam Ciuitatem Miſsâ Dominicis, & alijs feſtis ſolennioribus, quiſque ſacerdos celebrare poſſet, atque ſine vllo ſacerdotum, vel populi crimine, tota Vrbs interdicto ſubiaceret, adeo vt vix duo, aut tres homines ex quinque millibus, Dominicis, & alijs Paſchalibus diebus ſacro intereſſe potuiſſent. Eumdemque ritum præſcriptum, ſeruatumque in quibuſuis alijs Prouinciarum Occidentalium Eccleſijs. Ita vt ipſarum ſacerdotes nunquam propemodum in tota eorum vita ſacrificare potuerint.

Digitized by Google

Quartum: Non ſolùm Romanum Pontificem, proprias, viciniores oues ſacro cibo priuaſſe, verum etiam alijs Paſtoribus aliarum Eccleſiarum hoc idem iuſſiſſe.

Quintus error eſt, per octingentos annos penes Latinas, ſiue Europæ, ſiue Africæ Eccleſias, Eulogiarum vſum nullum fuiſſe.

Concludit poſtmodum *Fermentum* nihil aliud denotare, niſi Eulogias, quod & nonnullis rationibus confirmare conatur.

CLASSIS IV.

HActenus qua potuimus breuitate, tres Auctorum ſententias in tres Claſſes diuiſas ex poſuimus. Supereſt modò quartam illorum expendere, qui ad myſticum ſenſum *Fermenti* vocem traxerunt, cui opinioni ſubſcribere duos tantùm inuenimus, nempe Antonium Auguſtinum, & P. Mabillonium.

§. I.
Antonij Auguſtini coniectura de Fermento.

ANno 1577. Latinus Latinius Clariſſimum virum Antonium Auguſtinum ſciſcitauit. Quid-

Quidnam eſſet *Fermentum*? Latino autem hæc Auguſtinus reſpondit, vt ex eius Epiſt. in Tom. 2. Latini Latinij pag. mihi 171. *Quod me de Innocentiano* Fermento *ſuperioribus diebus interpellaſti, non potui ante hanc diem reſcribere. Tum quia Tabellarius aliquot Menſes in Gallia vinctus fuit: Tum quia perdifficilis quæſtio mihi viſa eſt. Nam ſiue dicamus* Fermentum *appellari conſecratum Panem, ſiue Eulogiam, à conſuetudine rerum, & vſu verborum diſcedimus. Sed & Leonis IX. teſtimonio conſtat ſemper Latinos* Fermento *abſtinuiſſe in Dominicæ cœnæ Myſterijs, quamobrem Azymitæ à Grecis dicebantur, quaſi Iudæorum Azymis delectati, quos multis verbis Humbertus Syluæ Candidæ Epiſcopus iure reprehendit. Cum verò Innocentij verba conſidero,* Fermenti *appellationem non veram eſſe; ſed vſurpatam exiſtimo, & qua vulgus vteretur pro Azymis illis ſynceritatis, & veritatis; Inde fortaſſe appellationis origine ſumptâ, quòd eadem die, quâ læti omnes participes fierent ſacræ Menſæ poſt longam quadraginta dierum inediam, eadem verba de* Fermento *audirent, & pro Græco Azymorum verbo, Latino vterentur contrariæ ſignificationis. In hac ſententia confirmor Damaſi verbis in Melchiadis Pontificis vita.* Hic *(inquit)* fecit, vt oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur

tur *Fermentum. Vides hîc oblationes conſecratas* Fermentum *dici, &* quod declaratur, *ſignificat, quod ita appellatur. Idem inuenies in vita Siricij, qui Damaſo ſuffectus eſt. Verba tamen mendoſa mihi videntur, quæ tu, vt ſoles, in aptiora mutabis. Quod igitur Innocentius ait:* De Fermento, quod die Dominico per Titulos mittimus, *& mox:* Fermentum à nobis confectum per Acolytos accipiunt, *De conſecrata hoſtia dici oſtendunt alia verba, quibus, & communio, & ſacramentum appellatur:* Vt ſe à noſtra communione non iudicent ſeparatos. *Item:* Quia non longè portanda ſunt ſacramenta. *Durum autem videtur, & à conſuetudine alienum, vt abſentis ratio haberetur. Sed id quoque factum fuiſſe olim inuenio apud Iuſtinum Martyrem in Apologia poſteriore apud Antoninum Pium. Notum autem eſt ſolùm Epiſcopum ſolitum eſſe ſacra facere; Presbyteros verò, atque etiam Epiſcopos, ſi præſentes eſſent ab eodem ſacram Euchariſtiam accipere, mox cæteros; qua de re videnda ſunt Irenæi verba ab Euſebio Græcè relata lib. 5. Cap. 26. hiſt. De Romanæ vrbis Presbyteris Cardinalibus, quibus ſolis Tituli vrbis committebantur, apertè Innocentius III. teſtatur ſolitos fuiſſe cum Romano Epiſcopo conuenire, & celebrare Myſteria lib. 4. Cap. 26. de Myſt. Miſſ. Hæc in Oriente adhuc obtinent, & apud* Græ-

Græcos, qui in Italia ſunt, vt ſemel tantùm ſacrificium fiat. Abſentibus mitti quidquam non puto. Sic igitur interpretor Innocentij conſtitutionem, vt noluerit extra Vrbes hæc ſacra mitti ad eas Parochias, quæ in pagis certos Curiones haberent. Poſſunt enim illi conficere ſacramenta, at vrbani nequeunt, ſacrificante Pontifice. Idem exiſtimat de his, qui in Cœmeterijs ſunt Presbyteri. Habes opinionem meam; velim tuam audire ſententiam, ac ſi meliora attuleris, ab his facilè diſceſſero.

Quibus apertiſſimè liquet Auguſtinum in allegoricum ſenſum *Fermenti* vocem traxiſſe, cum ipſum aliter, quàm proferatur, eſſe accipiendum exiſtimet.

§. II.
Ioannis Mabillonij iudicium circà Fermentum.

Poſt Lupum, & Macedum anno 1674. Lutetiæ Pariſiorum ſuam de *Azymo, & Fermentato* diſſertationem edidit R.P. Ioannes Mabillonius Benedictini, immò totius Eccleſiaſtici Ordinis ornamentum: Inſtante, ſcilicet, Eminentiſſimo Bonâ, vt Mabillonius ipſe in nuncupatoria Epiſtola, & præfatione ad Lectorem teſtatur. Diſſertationem hanc ſuam in vndecim capita partitus eſt. In

In Primo probat Euchariſtiam in Azymis à Chriſto Domino inſtitutam fuiſſe.

In Secundo docet, exemplo Chriſti haud imponi neceſſitatem in Azymis conſecrandi.

In Tertio, an Græci in principio Eccleſiæ *Fermento* vſi ſint?

In Quarto, quali Pane vtantur aliæ ſocietates Chriſtianæ.

In Quinto, varias de Azymo Latinorum ſententias adducit.

In Sexto, quædam dubiæ fidei teſtimonia pro Azymo Latinorum expendit.

In Septimo, proponuntur coniecturæ, & argumenta quædam pro antiquo vſu Azymorum apud Latinos.

In Octauo, aliæ probationes ex forma, & conditionibus hoſtiarum. Vbi explicantur Canones duo, vnus Concilij Turonenſis II. alter Toletani XVI.

In Nono, morem hunc generali vſu apud Latinos viguiſſe ante Photij diſceſſum.

In Decimo, expenduntur argumenta pro vſu *Fermenti* apud Latinos.

Tandem in Vndecimo præmiſſorum concluſio continetur.

Cæterum Capite Decimo, vbi nonnulla de *Fermento* exponuntur, exiſtimat contra Baronium,

Fer

Fermentum Euchariſtiam fuiſſe, idque multis rationibus adſtruit, confirmatque. Quærit deinde cur hoc nomine Euchariſtia dicta ſit; pro qua re poſtquam Sirmondi coniecturam expendit, ſuam profert, aſſerens hoc vocabulo appellatam Euchariſtiam, vt ſub huiuſce obſcuri nominis cortice, atque velamine, myſterium hoc gentes lateret. Per ea enim tempora mos Patribus erat, vt Euchariſtiæ ſacramentum non niſi ænigmaticè deſignaretur.

CAPVT QVINTVM.

Ioſephi Mariæ Thomaſij Presb. Reg. priſci Fermenti *noua expoſitio.*

POSTREMO loco Ioſephum Mariam Thomaſium, adijcimus in Eccleſiaſticis ritibus, & præſertim antiquis exercitatiſſimum, deque literaria Republica præclarè meritum ob graues, eruditoſque labores in eruendis, & eripiendis è tenebris obliuionum egregijs libris, quos Typis mandauit. Hunc inquam Auctorem poſtremo loco dumtaxat, ea de cauſa recenſemus,

Digitized by Google

quòd poſtremus omnium ſcripſerit. Cæteroqui omne ius, omniſque ratio poſtularet, vt ei primas inter recenſendos Auctores deferrem. Is igitur in quadam ſua diſſertatione hac de re: *Primum mihi momentum (*ait*) quod ad* Fermentum *ſpectare videtur (vt in ſequentibus dicemus, quodque fugit quotquot de* Fermento *ſcripſerunt) occurrit ſub Sancto Zepherino Papa, qui ad finem ſecundi, initiumque tertij Chriſtiani ſæculi Romæ ſedit. Quod ita exhibetur in vetuſtiſſimo Romanorum Pontificum Catalogo edito in Actis Sanctorum à Godefrido Henſchenio in principio Tomi primi menſis Aprilis:* Fecit Zeferinus conſtitutum de Eccleſia, vt patenas vitreas ante Sacerdotes in Eccleſia Miniſtri portarent: dum Epiſcopus Miſſam celebraret ante ſe haberet Sacerdotes omnes adſtantes, ſic Miſſæ celebrarentur; excepto cùm ius Epiſcopi intereſt, vt tantùm Clerus ſuſtineret omnibus præſentibus ex ea conſecratione de manu Epiſcopi iam coronam conſecratam acciperet Presbyter tradendam Populo. *Hæc ibi.*

De S. Meltiade, ſiue Melchiade, qui Pontificatum geſſit initio IV. ſæculi hæc referuntur in laudato Catalogo apud Henſchenium. Hic fecit, vt oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur *Fermentum.*

De

De S. Siricio, qui Eccleſiam regebat ad finem IV. ſæculi, item in eodem Catalogo dicitur: Conſtituit, vt ſine conſecratu Epiſcopi loci cuilibet Presbytero non liceret conſecrare. *Haƈtenus Catalogus ille*. *Id quod in Libro Pontificali ſic affertur*: Hic conſtituit, vt nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem Hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur *Fermentum*.

S. Innocentius Papa in Epiſtola ſua ad Decentium Epiſcopum Eugubinum datâ XIV. Kal. Aprilis Theodoſio Auguſto VII. & Palladio V. C. Conſ. bis verbis illi reſpondit. De *Fermento* verò, quod die Dominico per Titulos mittimus, ſuperfluè nos cònſulere voluiſti, cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra Ciuitatem ſint conſtitutæ. Quarum Presbyteri, qui die ipsâ propter plebem ſibi creditam nobiſcum conuenire non poſſunt, idcircò *Fermentum* à nobis confeƈtum per Acolytos accipiunt, vt ſe à noſtra communione maximè illâ die non iudicent ſeparatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda ſunt ſacramenta, nec nos per Cœmeteria diuerſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus: Et Presbyteri eorum conficiendorum Ius habeant, & licentiam. *Haƈtenus S. Innocentius*.

Hæc ſunt vetera documenta de Fermento, *quæ*,

qualem, quantamque crucem attulerint Eccleſiaſticis Tractatoribus, eorum commentaria monſtrant. Tot enim verborum ambagibus implexi, penè viſi ſunt ſiſtere greſſus, nec vltra pergere in tam affuſa vſquequaque caligine, quam tu Chriſtiane Lector depelles hac tantùm face contentus quam tibi ſine inuidia communico. Accipe cuncta paucis.

In celebri Monaſterio S. Galli ordinis S. Benedicti in partibus Heluetiorum habetur vetuſtiſſima membrana, in qua Eccleſiaſticus Ordo Romanæ Eccleſiæ continetur. Ex Romanis Ordinibus impreſſis, & MMSS. hic S. Galli Ordo inter puriores ſyncerior mihi viſus eſt. Nam varios aliarum Eccleſiarum ritus non admiſcet, quod rarò in cæteris Ordinibus reperitur. Scriptus eſt hic S. Galli Codex ad finem octaui ſæculi. Fit enim in eo hæc Papæ Hadriani mentio, vbi agitur de Ferijs Quadrageſimæ. Simili modo agitur Secundâ Feriâ, Quartâ Feriâ, Sextâ Feriâ, & Sabbato per totam Quadrageſimam, nam Sabbato tempore Hadriani inſtitutum eſt, vt flecteretur pro Carolo Rege, antea verò non fuit conſuetudo; *Quibus verbis apparet Codicem non diù poſt Hadrianum Papam I. defunctum anno 795. fuiſſe conſcriptum; nam præterquam quod abſolutè Hadrianum appellat abſque deſignatione numeri, quod indicat nondum Hadrianum II. Pontificem extitiſſe; Ipſamet locutio recentia-*

tem-

tempora Hadriani, & memoriam adhuc non deletæ anterioris conſuetudinis innuit. Cumque Carolum Regem dicat, haud Imperatorem, aliquis fortaſſis exiſtet, qui ante inaugurationem Caroli in Imperatorem, ſcilicet ante annum DCCCI. ipſum Codicem ſcriptum dicet, cuius exemplum humaniter accepi à Domino Hermanno Shenk eiuſdem Cœnobij Bibliothecario eruditiſſimo, meique amantiſſimo, cui gratias & habeo, & agere debeo plurimas. In eo, itaque, Codice ſtatim initio habetur hic Titulus.

Incipit Ordo Eccleſiaſticus Romanæ Eccleſiæ qualiter Miſſa celebretur. Primo omnium obſeruandum eſt ſeptem eſſe Regiones Eccleſiaſtici Ordinis Vrbis Romæ, & vnaquæque Regio &c. *Vt in poſtrema deſcriptione Miſſæ Papalis (quanquam variè interpolatâ) in Lib. de Diuin. Offic. edito à M. Hittorpio Coloniæ M.D.LXVIII. Hanc verò poſtremam Clauſulam præfati Ordinis, ſcilicet,* Deinde Manſionarij iuniores, & intrat in ſecretarium; *Alter Commentariolus cum ſuo Titulo excipit, qui nuſquam eſt editus, quique ſi in lucem fuiſſet, emiſſus tot, tantique doctiſſimi viri in* Fermenti *caligine non hæſiſſent.*

Integrum Commentariolum ipſum, fideliter tranſcribam, vt ſatis, ſuperque Lectori ſatisfaciam. Titulus ſic incipit.

Si

Si autem Summum Pontificem, vbi Statio fuerit, contigerit non adeſſe, hæc ſunt, quæ ab alio Epiſcopo diſſimiliter fiunt.

IN primis, quod non ille, ſed Diaconi præcedunt cum Cereoſtato; vel Thuribulo.

Secundum namque quod non ſedit in ſede poſt Altare.

Tertio: non dicit Orationem poſt Altare, ſed in dextro latere Altaris.

Quartum, non ipſe Epiſcopus, ſed Diaconus in eo loco, vbi conſuetudo eſt, *cinnat.

* *Locus mendoſus.*

Quinto loco, vbi legitur poſt finitum Canonem, vbi dicit *Per quem hæc omnia Domine*, non leuatur Calix ab Archidiacono.

Sexto loco: Quando dici debet: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, deportatur à Subdiacono Oblationario particula *Fermenti*, quod ab Apoſtolico conſecratum eſt, & datur Archidiacono. Ille verò porrigit Epiſcopo. At ille conſignando tribus vicibus, & dicendo: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, mittit in Calicem.

Nam ex hoc diſſimiliter facit, quod Apoſtolicus non confringit, ipſe verò ſuper pallam, quæ corporalis dicitur, in Altare confringit. Deinde communicant omnes præter Epiſcopum tantùm, quòd

quòd non ſuâ manu communicat, ſed in ipſius manum mittit partem, & ipſe ſe communicat cum propria manu. Similiter facit Presbyter Presbytero, & Diaconus Diacono; nam reliqua omnia ſimiliter, vt ſummus Pontifex, facit.

Similiter etiam, & à Presbytero agitur, quando in Statione facit Miſſas, præter: *Gloria in excelſis Deo*, quia à Presbytero non dicitur, niſi in Paſcha. Epiſcopi, qui ciuitatibus præſident, vt Summus Pontifex, ita omnia peragunt.

Feriâ Quartâ Initium Quadrageſimæ.

Colligunt ſe omnes ad Eccleſiam Sanctæ Anaſtaſiæ circà horam ſeptimam. Ingreditur Pontifex in ſecretarium, induit ſe veſtibus &c. *Notantur mox ritus aliquot in Quadrageſima ſeruandi, quos hîc alius titulus ſubſequitur.* Incipit Ordo à Dominica Mediana, vſque octabas Paſchæ.

His itaque exhibitis de Fermento *monumentis, maximèque hoc poſtremo, quod nunc primùm depromitur, reſtat, vt ex his omnibus &* Fermentum, *& illius vſum ediſcamus. Fidem ſoluam ſi conſtitutum illud S. Zepherini ſupra allatum antea explicem, ad* Fermenti *enim rationem pertinere non dubito, licet omnes de* Fermento *Scriptores latuerit. Quod verò de* Fermento *inibi agatur, cuiuis patebit, ſi collatis ſimul Melchiadis, Siricij, & Innocentij teſtimonijs conſideretur, hoc vnum ab illis differt,*

fert, vt quod illa ſub obſcuriùs, hoc obſcuriſſimè tradat. *Non abs re putaui eidem S. Zepherini conſtituto quam potero lucem hîc afferre breui paraphraſi. Ita verò inquit:* Fecit conſtitutum de Eccleſia, vt patenas vitreas *in Miſſarum ſolennijs, & Populi communione* ante Sacerdotes, Miniſtri *ideſt Diaconi* portarent: *&* vt dum Epiſcopus Miſſam celebraret, ante ſe haberet Sacerdotes omnes *ſecundi ordinis* adſtantes, *ſibique concelebrantes* & ſic Miſſæ celebrarentur, excepto cùm Ius, *ſiue Iuriſdictio tantùm, & non corporalis præſentia* Epiſcopi intereſt: *&* vt *tunc* tantùm *ſiue eatenus* Clerus ſuſtineret, *& expectaret; quoad* omnibus præſentibus ex ea Conſecratione *quæ facta eſt ab Epiſcopo reliquis Sacerdotibus adſtantibus,* de manu *eiuſdem* Epiſcopi, iam *per Acolytum tranſmiſſam* Coronam *ſiue oblatam ſphericæ figuræ* conſecratam acciperet Presbyter, tradendam Populo.

Hanc eſſe huius conſtituti veriorem explicationem opinor, nec aliud mihi occurrit, vnde dubitem. Recenſebo modò quæ ex relatis teſtimonijs pro Fermento *ſunt colligenda.*

Primò Vocabulum Fermenti *à noſtris maioribus inſtitutum, non ex eo tantummodo quòd Infidelibus, & Catechumenis ſacratiora Myſteria per notiora vocabula non proderent, verùm quòd hæc vox* Fermentum *ſatis apta eſſet ad id ſignificandum*
quod

quod per huiuſmodi Fermenti *vſum volebant intelligi. Quod vtique aliud non erat, quantum ex Epiſtola S. Innocentij ſuperiùs allatâ diſcimus, præterquam iſtud vt Presbyteri Titulorum, quia die Dominico propter plebem ſibi creditam vnà cum Pontifice conuenire non poterant,* Fermentum, *idcircò ab ipſo Pontifice confectum per Acolytos acciperent, ne ab eius ſe communione maximè illâ die ſeparatos iudicarent. Ad Communionis ergo teſſeram, charitatis mutuæ vinculum, membrorumque cum capite nexum,* Fermenti *conſtitutio collimauit. Cui rei ſignificandæ, quæ aptior vox quàm* Fermenti*? Sicut enim modicum* Fermentum *totam farinæ cui inijcitur, maſſam fermentat; ſic vnicum illud Pontificis* Fermentum *per Titulos miſſum, veluti vnam maſſam & corpus Fideles vnius Vrbis copulabat: quoniam* vnus Panis *(inquit Apoſtolus)* vnum corpus multi ſumus; omnes qui de vno Pane participamus. Fermentum *igitur Eccleſiaſticum myſticâ tantàm ratione huiuſmodi nactum eſt nuncupationem. Quamobrem in Melchiadis conſtituto optimè dicitur, quod* declaratur Fermentum, *& in Siricij*: niſi ſuſciperet declaratum, quod nominatur Fermentum. *Quid, quæſo, opus erat dicere huiuſmodi oblationem à Pontifice conſecratam,* declarari, nominari *Fermentum; ſi eam ob cauſam ita appellaretur, propterea quod Fermentata eſſet?*

Accedit, quòd inter Fermentum & Fermentatum *multum ſit diſcriminis, vt vel ipſi Grammatici norunt. Vnde non mirari non poſſum, Viros alioqui perſpicaciſſimos hinc pro* Fermentati *vſu in Miſſa Romana argumenta deſumpſiſſe; adeo vt propterea* Fermentum *vel ad Eulogias relegauerint (quas Fermentatas admittere non formidabant) vel* Fermentatum *Panem Eucharıſticæ conſecrationi intruſerint: nihil horum me angit; quin etiam fatear Eccleſiæ Romanæ* Fermentum *Azymum fuiſſe. Certè per id temporis, quo ſcriptus eſt Eccleſiaſticus hic Ordo Romanus in Monaſterio S. Galli ſeruatus, Azymorum vſus in eadem Eccleſia Romana exiſtebat: nuſquam enim adducar vt credam Caroli Magni tempore Eccleſias omnes Occidentales, nedum Romanam, aliter quàm in Azymis conſecraſſe. At tunc* Fermenti *particula mittebatur in calicem ab Epiſcopo, vel à Presbytero abſente ſummo Pontifice;* Fermentum *itaque illud Azymum erat: nam rationem non video, cur offerrentur & ſumerentur in Miſſa Panes Azymi, & poſtea in calicem conſecratum ex Fermentato particula iniiceretur: Accedit quòd Romanus Pontifex ex iis Panibus, quos in ſua Miſſa conſecrabat, Oblatas conſecratas deſumeret Presbyteris tranſmittendas per Acolytos; Panes verò quos Papa in ſua Miſſa conſecrabat, Populoque communionis tempore diſtribuebat, Azymi erant;* Fermentum

ita-

Digitized by Google

itaque ſiue Oblata ex reliquis Panibus conſecratis decerpta, Azyma item erat. Igitur Caroli Magni tempore, vt Panes Miſſæ Azymi erant; ita & ipſæ Oblatæ (ſiue vt hodie dicimus) Hoſtiæ, ad Fermenti *vſum, Azymæ erant. Eas tamen* Fermentum *nominabant ob hanc vtique cauſam, quia* Fermenti *inſtar, Ciuitatenſem totam Eccleſiam veluti vnam maſſam fermentaret; dum ex eo calice cuncti communionem ſumerent, in quo ex Epiſcopi conſecratione particula extabat: quamobrem ſicuti omnes vni communicabant capiti hoceſt Epiſcopo, ita vnum ſe corpus eſſe oſtendebant.*

Secundò Forma, ſiue figura Fermenti *fuit in modum coronæ: Panis nimirùm erat rotundus & ſolidus ſed preſſior, vt cæteri Panes ad Miſſam offerendi; quales in antiquioribus picturis adhuc videre licet cruce ſignatos. Hinc in Zepherini conſtituto* Corona conſecrata *vocatur: quod ſi conferas cum conſtituto Melchiadis, in quo habetur* Oblationes conſecratæ; *intelliges iam ab antiquioribus manaſſe temporibus, vt Panes ad Miſſas offerendi,* Coronæ oblationis *vocarentur. Etenim ad ætatem vſque S. Grægorij hæc nuncupatio perſeuerabat: inquit enim ille Lib. 4. Cap. 4. Dialogorum:* Tunc duas ſecum Oblationum Coronas detulit. *Quod ſi Panes ſanctiſſimæ Eucharistiæ deſtinati, ſpeciali nomine vulgò cenſebantur; quid mirum ſi ſpeciali*

item confectione, eâque faciliore, nitidiore ac ſignificatiore, ſolius nimirùm Farinæ cum aqua abſque alio Fermento *conſperſione etiam vulgò pararentur? Quod obiter licet, pro vetuſtiore Azymorum vſu in Eccleſia Romana ſit dictum.*

Tertiò, Fermentum *an conſecratum fuerit, & reuera ſanctiſſimi Corporis Chriſti Sacramentum, quod in Miſſa offertur & ſumitur, celebrior fuit hac de re eruditorum omnium quæſtio: ſed rei veritas vltrò ſe offert, vt fateamur priſcum Eccleſiæ* Fermentum *fuiſſe re ipsâ Dominici Corporis Sacramentum, quod Euchariſtiam dicimus. Primò quia in conſtituto Zepherini hæ de eo voces vſurpantur,* Ex ea conſecratione de manu Epiſcopi, & coronam conſecratam: *in Melchiadis conſtituto* Oblationes conſecratæ, & ex conſecratu Epiſcopi: *in Siricij, vt* ſine conſecratu Epiſcopi loci *cuilibet Preſbytero non liceret conſecrare, ſiue, vt apud Librum Pontificalem, vt nullus Presbyter Miſſas celebraret, niſi* conſecratum Epiſcopi *ſuſciperet: & in Epiſtola Innocentij ratio redditur, cur* Fermentum *extrà Ciuitatem non mitteretur; nimirùm, quia non longè portanda ſunt* Sacramenta. *Quæ* conſecrationis & Sacramentorum *vocabula iuxta conſuetum loquendi Eccleſiæ morem, quid aliud ſonant, niſi conſecrationem Euchariſticam & Dominici Corporis ſacramentum? Item in eadem Epiſtola dicitur,*

Digitized by Google

tur, Fermentum *mitti abſentibus Presbyteris, vt à Pontificis communione non ſe iudicarent ſeparatos; quod de Eucharistica communione, (quæ totius eſt Eccleſiaſticæ communionis cardo ac centrum) ritè eſt intelligendum. Quid certè prohibuiſſet à meridie aut veſperi in ſacris tantùm precibus & orationibus Pontifici communicare Presbyteros, ſumentes Panes, Epiſcopi tantùm precibus benedictos, ſi de quouis communionis Symbolo tota cura fuiſſet? Præterea cum ibidem dicatur, Presbyteros per Cœmeteria conſtitutos eorum conficiendorum (vtique ſacramentorum, nam ad aliud referri nequit illud participium) ius habere & licentiam: quid aliud indicat, niſi eiuſdem fuiſſe generis ſacramenta à Presbyteris Cœmeteriorum confecta; perinde ac ea, quæ Presbyteris per Titulos vrbis mittebantur? his enim ius & licentia non erat Sacramenta conficiendi, ideſt Miſſarum ſolennia celebrandi, niſi ab Epiſcopo poteſtate ſibi factâ per* Fermenti *tranſmiſſionem. Sicut ergo nemo negauerit, veræ Euchariſtiæ ſacramenta Cœmeteriorum Presbyteros confeciſſe; ſic quiſque neceſſe eſt fateatur eiuſdem fuiſſe generis ſacramenta per Titulos tranſmiſſa; quæ* Fermentum *nominabantur. Quid plura? Habemus rem meridiano ſole clariorem in relato fragmento Ordinis Romani Monaſterij S. Galli; in ſexto namque diſcrimine Epiſcopalis Miſſæ celebratæ in Statione ab-*

ſente

ſente Summo Pontifice, dicitur: Quando dici debet: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, deportatur à Subdiacono Oblationario particula *Fermenti*, quod ad Apoſtolico conſecratum eſt, & datur Archidiacono; ille verò porrigit Epiſcopo: at ille conſignando tribus vicibus, & dicendo; *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, mittit in Calicem. *En* Fermentum *ab Apoſtolico Papa conſecratum, & miſſum in Calicem Sanguinis Chriſti eo loco poſt Canonem, quo etiam hodie Hoſtiæ conſecratæ fragmentum in Calicem Sanctum mittimus. Quis modò negare auſus fuerit, re verâ fuiſſe Chriſti Corpus ſub ſpecie Panis occultum*, Fermentum *illud*; *cùm in eiuſdem Chriſti ſanguinem Vini ſpecie tectum mitteretur? Res pluribus non indiget*; *adeo eſt aperta*.

Quartò, Fermentum *à Pontifice Romano conficiebatur ſiue conſecrabatur*: *id planè dicitur ab omnibus ſupracitatis teſtimonijs Zepherini, Melchiadis, Siricij, Innocentij, & Ordinis Romani*.

Quintò, Fermentum *ab ipſomet Pontifice mittebatur per Acolytos, vt ex Epiſtola Innocentij Papæ conſtat. Id quod mihi facit in mentem venire ſanctum Tharſitium Romanæ Eccleſiæ Acolytum poſt medium tertij à Chriſto ſæculi martyrio coronatum: quem Pagani (vt in Martyrologio Romano dicitur* 15. *Auguſti) cùm inueniſſent corporis Chri-*

ſti

ſti Sacramenta portantem, cœperunt diſquirere quid gereret: at ille indignum iudicans porcis prodere margaritas, tamdiù ab illis mactatus eſt fuſtibus, & lapidibus, donec exhalaret ſpiritum: & reuoluto eius corpore ſacrilegi diſcuſſores, nihil ſacramentorum Chriſti in manibus aut in veſtibus inuenerunt. Opinarer hunc ſanctum Acolytum Epiſcopi Romani conſecratum ſiue Fermentum *Presbyteris tunc temporis portaſſe: iam enim antea conſtitutum fuerat ſub S. Zepherino, vt ex Epiſcopi conſecratione acciperet Presbyter vnde Populus communicaret. Fauet coniecturæ Acolyti miniſterium, fauet delatio Sacramenti: nec obſtat, quod extrà Vrbem viâ Appiâ Sacramenta detulerit; cùm perſecutionis tempore multa licuerint, quæ poſtea pace redditâ, certis limitibus arctata fuerunt.*

Sextò, Presbyteris per Titulos ſiue per Eccleſias, vt nunc loquimur Parochiales conſtitutis, Fermentum *mittebatur. Quòd Tituli vocarentur Parochiales Eccleſiæ, res eſt adeo clara apud eos, qui in Eccleſiaſtica Hiſtoria ſunt verſati, vt tempus tererem, ſi hoc probare vellem. Puto tamen ante generalem Eccleſiæ pacem etiam extra vrbem miſſum conſecratum* Fermentum: *cum frequentiùs in ſuburbanis Cœmeterijs ſacri Conuentus fierent, & diuina Myſteria peragerentur.*

Septimò, Presbyteri Titulorum Miſſas non cele-

bra-

brabant, certè non conſecrabant, ſed expectabant cum Clericis & plebe ſibi creditâ eatenùs, quoad Acolytus conſecratum à Pontifice Fermentum *attuliſſet. Tunc Miſſas celebrabant & conſecrabant de more,* Fermentique *particulam tribus vicibus conſignando, & dicendo*: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *in Calicem mittebant: reliquum* Fermenti *ſiue conſecratæ coronæ putauerim, Populo prout ſatis erat diſtributum iuxta Zepherini Papæ conſtitutum; reſeruatâ tamen bonâ parte pro alijs per hebdomadam Miſſis celebrandis. Hæc ex allatis monumentis liquent. Hinc cauſam mihi videre videor, cur Presbyteri ab hora tantùm tertia Miſſas exordirentur; cùm Romanus Pontifex diluculò, vt in Ordinibus Romanis habetur, ad Stationem pergere conſueuerit, & in prima parte diei, S. Leone Papâ teſte, Miſſas celebrauerit: oportebat namque benè manè Pontificem celebraſſe, quò temporis ſatis eſſet,* Fermentum *ab eo ipſamet die Dominicâ confectum per Titulos mittendi. At de hora publicæ Miſſæ aliàs fortè, Deo dante: nam quæ vulgò de hora tertia circumferuntur, antiquiorem Eccleſiæ morem non redolent; olim enim diluculò vel ſtatim ab ortu ſolis Miſſæ publicæ diebus feſtis dicebantur.*

Octauò, Ex conſtitutionibus Zepherini & Siricij videtur inferri, quòd Presbyteri in eo loco ſiue Ciuitate conſiſtentes, vbi Epiſcopus aderat, nullo

die

die Miſſas celebrauerint, niſi conſecratum ab Epiſcopo ipſo Fermentum *habuiſſent, vt vel ſic mutuæ communionis membrorum, & capitis ex hac dependentia monſtraretur, Presbyteri verò longiùs diſſiti hæc non ſeruabant, quia non longè erant portanda Sacramenta.*

Nonò, Die Dominicâ potiſſimùm à Pontifice confectum Fermentum *mittebatur, ſiue quòd eo vel maximè die, publicè cum Populi frequentiâ Miſſæ celebrarentur; ſiue quòd eo die confectum per totam Hebdomadam Presbyteri cuſtodirent, fruſtatimque quotidiè, vel quartâ ſaltem Feriâ, atque ſextâ in Solennibus vterentur, quod poſtremum conſonat Ordinis Romani fragmento allato. Vbi apportatur* Fermentum *Epiſcopo celebranti in Statione abſente Summo Pontifice ac ipſo die per ſe non celebrante, nec per conſequens* Fermentum *conficiente.*

Decimò, Quæ à Presbyteris in Titulis ſuis, hæc eadem ab Epiſcopis publicas ſaltem Miſſas celebrantibus, in Vrbe ſeruabantur in vſu Fermenti *à Romano Pontifice conſecrati, vt in ſæpè laudato Ordinis Romani fragmento apertè declaratur.*

Vndecimò, Fermenti *confectio, tranſmiſſio, & communio, nedùm Romæ, ſed in alijs quoque Ciuitatibus vſurpabatur. Id quod ex decretis Zepherini, Melchiadis, & Siricij colligere poſſumus, cum non ad Romanam tantummodo Eccleſiam, ſed ad*

cæteras item extendi poſſint, vel eas maximè, quæ loco propiores, imitatione etiam fuerint coniunctiores. Luculentiùs hoc ipſum edocet nos reſcriptum Innocentij ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, cùm enim in eo dicatur: De Fermento verò; *ſatis indicatur, Decentium de* Fermento *priùs conſuluiſſe ſummum Pontificem. Quod ſi conſulit, de re propria conſulit, & fortaſſis Eugubij (quæ eſt Ciuitas Vmbriæ) erant Tituli, ſiue publicæ Eccleſiæ extrà Ciuitatem, vt propterea interrogandum Pontificem cenſuerit, an ad eas* Fermentum *mittendum eſſet. Hinc Pontifex reſpondet.* Cùm omnes Eccleſiæ noſtræ intrà Ciuitatem ſint conſtitutæ, *Quaſi diceret; ſecùs accidit noſtris, ac veſtris Eccleſijs.*

Duodecimò, quo tandem tempore Fermenti *confectio, & vſurpatio deſierit, ignoro. Tempore Innocentij III. iam obſoleuerat, cum per id tempus conſueuerint Presbyteri Cardinales Romano Epiſcopo ſolenniter celebranti concelebrare. Is enim Lib. 4. de ſacrificio Miſſæ Cap. 25. ita ſcribit.*

Cùm autem interdum vni Pontifici multi Sacerdotes, ſi fortè non omnes, ſimul conſecratoria verba pronuncient, quæritur an ille ſolus conficiat, qui primus pronunciat? Quid ergo cæteri faciunt? an iterant Sacramentum? Poterit ergo contingere, quod ille non conficit, qui celebrat principaliter, & ille conficiet, qui ſecundariò celebrat,

lebrat, & ſic pia celebrantis intentio defraudabitur. Sanè dici poteſt, & probabiliter reſponderi, quod ſiue priùs, ſiue poſteriùs proferant Sacerdotes, referri debet eorum intentio ad inſtans prolationis Epiſcopi, cui principaliter celebranti concelebrant, & tunc omnes inſimul conſecrant, & conficiunt, quamquam nonnulli conſentiant, quod qui prius pronunciat, ille conſecrat, nec aliorum defraudatur intentio, quia factum eſt, quod intendunt. Conſueuerunt autem Presbyteri Cardinales Romanum circumſtare Pontificem, & cum eo pariter celebrare, cùmque conſumatum eſt Sacrificium, de manu eius communionem recipere ſignificantes Apoſtolos, qui cum Domino pariter diſcumbentes, ſacram de manu eius Euchariſtiam acceperunt; & in eo quod ipſi concelebrant, oſtendunt, Apoſtolos tunc à Domino ritum huius ſacrificij didiciſſe.

Sed hanc Fermenti *abolitionem ad anteriora adhuc tempora referrem, nam in XI. & XII. ſæculi Ritualibus altum de* Fermento *ſilentium obſeruo. Hinc ad annum circiter M. coniectabar* Fermenti *vſum duraſſe, poſtea prætermiſſum, tum quòd paulatim ſacri ritus mutationem ſubierint, tum quod ob frequentiores Vrbis per ea tempora perturbationes ſæpiùs Romani Pontifices Româ diſceſſerint, quibus abſentibus, &* Fermentum *ab*

ipſis confectum omnino ceſſauerit.

Hæc de priſco Eccleſiæ Romanæ Fermento *ſatis. Tantùm addiderim quæ ad* Fermenti *rationem accedere videntur: conſueuiſſe nimirùm, Romanos Antiſtites Presbyteris vrbanis à ſe nouiter ordinatis ſacram Hoſtiam conſecratam tradere: Vnde per conſequentes octo dies communicarent. Sic in Ordine Romano MS. & edito legitur.*

Tollit Pontifex Oblatas integras, & dat ſingulis Nouitijs Presbyteris, vt inde communicent vſque octo dies. *Idem in Epiſcopi conſecratione Pontifex ſeruabat, ſi dierum numerum exceperis. Dicitur enim in eodem Ordine.*

Cùm venerit ad communicandum Dominus Pontifex, ponit ei Formatam, atque ſacratam Oblationem integram, ſuſcipienſque eam Epiſcopus ipſe ex ea communicet ſuper Altare, quod verò reſiduum fuerit, ſibi reſeruet denuò ad communicandum vnoquoque die vſque quadraginta dies completos. *Hactenus Ordo Romanus. Quod autem per huiuſmodi ſubſequentes dies in quotidiana Miſſarum celebratione de hac Oblatione communicauerint, eamque aliqui ſaltem in Pergameno in hos vſus parato inuolutam ſeruauerit diſcimus ex Fulberti Epiſcopi Carnotenſis Epiſtola ad Finardum apud eruditiſſimum Hugonem Menardum in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorij Papæ pag. 312.*

Vides

Vides iam hic (accurate Lector) qualis fuerit Thomaſij circà *Fermentum* opinio: ſentit enim nihil aliud fuiſſe, quàm Euchariſticum Panem, ſeu clariùs, Dominicum Corpus, quod mittebatur in calicem, vbi Chriſti ſanguis aderat, ſicut etiam hodie in Calicem ſanctum particula, ſeu fragmentum inijcitur. Atque hunc opinandi modum collegiſſe ſe ait ex peruetuſto Ordine Eccleſiaſtico, quem è Cimelio percelebris Monaſterij S. Galli in partibus Heluetiorum in lucem reuocauit. Vbi §. VI. loco prædictæ proiectionis Corporis Chriſti in Calicem fit mentio.

Fateor hanc Thomaſij opinionem, veriſimillimam eſſe, & veritatem propinquiſſimè attingere. Aut ſaltem non parum ſplendoris huic controuerſiæ attuliſſe. Quia verò adhuc res latet, ac nonnullis velaminibus obducta, relinquitur hinc locus, aliqua ſuperaddendi ex propria ſententia, vt detracto omni cortice, veritas ipſa ceu ſol fugatis tenebris eluceſcat.

CA-

CAPVT SEXTVM.

Refelluntur argumenta Eminentiſſimi Bonæ, quibus probare intendit Fermentatum *in Eccleſia Latina vſque ad Schiſma Michaëlis Cerularij, vel per ea tempora, vſitatum fuiſſe.*

HANC *Fermenti* quæſtionem iam per nonnulla ſæcula ferè quieſcentem, denuò excitauit, vt ſuprà narratum eſt, P. Iacobus Sirmondus, quem inde Eminentiſſimus Cardinalis Bona ſequutus fuit; eorumque opinionibus mirum eſt quantùm Scholaſticorum cœtus commotus fuerit: quam ad ſedandam ad antiquas Hiſtorias confugiendum eſt, quibus ſi deſtituamur, conicc̃turis vti cogemur; Vt ipſi etiam Scriptores in tanta rerum ambage conſueuere. Præcipua igitur argumenta præfati Eminentiſſimi Cardinalis (in quibus includuntur etiam illa Sirmondi) expendemus, adiectis reſponſionibus, vt mage magiſque veritas è tam alta caligine, tenebriſque eruatur.

Primò autem, Cap. 23. num. 3. Lib. 1. Ro-

manæ editionis, vt adſtruat in veteri Eccleſia, ac partibus Occidentalibus diù *Fermentatum* in vſu fuiſſe, Oblationes adducit, quæ ſuper altare, dum ſacra Miſſarum ſolennia celebrarentur, à Chriſti Fidelibus fiebant, ſingulis pro ſacrificio Panem offerentibus. Idque diuerſis auctoritatibus probat, quæ tamen de Pane loquuntur, nullo diſcrimine an eſſet Azymus, vel Fermentatus. *Deinde ſunt* (inquit) *& alia eiuſdem generis multa, quæ priſcum illud tempus reſpiciunt, quo Populi Oblationes conſecrabantur; quod ſi Sacerdos oblatum à Fidelibus Panem, pro ſua, & illorum communione conſecrabat, non alium ſanè quàm communem, & vſitatum, ac de more Fermentatum, qui ſingulis tam Diuitibus, quàm Pauperibus ſemper in promptu eſſet: cum præſertim primis Eccleſiæ ſæculis propter metum perſequutorum ſæpè in cryptis, & in carceribus ſacrum occultè, & ex occaſione celebrare oporteret Pane procul dubio communi; quia Azymum, nec vbique conficere nec ſemper paratum habere poterant. Scio quidem virum doctiſſimum Albaſpinæum Lib. 1. Obſeru. 5. & ſeq. ea quæ de oblationibus allata ſunt, aliter interpretari; ſed ſingularis eius ſententia eſt, & contra communem Doctorum ſenſum. Ait ille has Oblationes, de quibus Cyprianus, & alij loquuntur, nihil ad Eucbariſtiam pertinere, neque partem ex ijs decerptam,*

vt

vt conſecraretur, ſed referendas eſſe ad Eulogias, ſiue ad Panem in fine Miſſæ diſtribuendum, nam Panis, inquit, qui offerebatur, Fermentatus erat, Eucbariſtia verò ex Pane ſine Fermento *conficiebatur. Quod genus argumenti quanti ſit ponderis nemo non videt, imò quia Panis Fermentatus offerri ſolebat, conſequens eſt, vt & idem conſecraretur: Nec vllo modo ad Eulogias trabi poteſt, quod Cyprianus ſcribit arguens mulierem, quæ partem ſumebat de ſacrificio, quod pauper obtulerat: Vnde enim probare poterit, quod nomen ſacrificij Eulogijs vnquam tributum ſit? aut quod tempore Cypriani Eccleſia Azymis vteretur? Id demonſtrandum erat, non tanquam indubitatum ſtatuendum.* Verùm quod vti certum tradit, videlicet his temporibus Panem Fermentatum offerri ſolitum, haud probat, imò contrarium conijci poteſt ex his, quæ nos ſupra diximus, nempe fuiſſe tunc temporis Azymum Panem in vſu vulgi, ac cum in Miſſa Panis offerretur, veriſimile eſt quod fuiſſet potius Azymus, quàm Fermentatus, tamquam purior, & nitidior, ac in confectione facilior, nec non ſimilior illi, quo Chriſtus Dominus in Cœna vſus eſt.

Secundum Bonæ argumentum ſub num. 4. eiuſdem Cap. eſt: Photium in ſuis obiectionibus contra Latinos de Azymis ne vllum quidem verbum

Digitized by Google

bum feciſſe, quod certè non omiſiſſet, cùm vel falſa crimina per calumniam finxerit, & de multò leuioribus litem mouerit. *Ex quo ſilentio* (proſequitur Bona) *ſi non euidenti, ſaltem probabili conſequutione deducitur Azymi Panis vſum circa annum Chriſti* 860. *nondum in Eccleſia Latina viguiſſe. Quod ſi quis contendat ex Photij ſilentio nihil concludi, cum ſit argumentum purè negatiuum, obſecro vt cauſam aſſignet motæ poſtea de Azymis controuerſiæ. Non enim video, cur de his tacuerit Photius, & poſt duo ſæcula Michaël Cerularius Photij ſucceſſor tam aſperè loquutus ſit; niſi quia viuente Photio non erant in vſu, tempore autem Cerularij nuper recepta fuerant. De vi argumenti negatiui nolo hic odioſam texere diſputationem, ſed neque neceſſarium eſt; noſtra ſi quidem aſſertio non ſoli ſilentio Photij innititur, ſed alia habet validiora firmamenta atque adminicula, quibus fulcitur, & credibilis fit, vt ex progreſſu patebit. Precor etiam viros eruditos, vt me doceant, an poſt Chriſtum, & deinceps per annos mille, vlla vnquam de Azymis, eorumque vſu in ſacrificio mentio habita reperiatur, niſi occaſione Sectariorum, qui illis vſi ſunt, vt à conſuetudine Catholicæ Eccleſiæ ſe alienos oſtenderent, ſicut de Armenijs diximus ſupra, & de Ebionæis mox videbimus. Argumentum verò, quod plerique Scholaſtici tanquam*

inſolubile opponunt, Chriſtum, ſcilicet, primâ die Azymorum Euchariſtiam inſtituiſſe, ideoque Eccleſiam eius exemplo Azymis vſam eſſe, quanti roboris ſit viderint ſapientiores Theologi, & iudicent. Nam Chriſtus illo Pane in vltima cœna vſus eſt; qui apud Hebræos in illa ſolennitate communis erat. Nec (vt ait Algerus Lib. 2. de Sacram. Corp. & Sang. Domini. Cap. 10.) ideo Chriſtus Azymum Panem in vltima cœna conſecrauit, quia res ſic exigeret, ſed quia illa cœna alium Panem non exhibuit. *Et ſi poſt reſurrectionem aliquando conſecrauit, vt communiter aſſerunt SS. Patres, Panem communem, & Fermentatum adhibuiſſe credendum eſt, quo poſt dies Azymorum omnes vtebantur. Dato item, & non conceſſo quod ſemper Azymis vſus eſſet, nihil tamen ex hoc pro Azymis concludi poſſet: Certiſſimum eſt enim, non omnem Chriſti actionem præceptum continere, alioquin celebranda à nobis forent hæc Myſteria poſt cœnam, quia cenâ peractâ ab ipſo ſunt inſtituta. Ex praxi quoque Eccleſiæ apparet, quanta ſit vis in hoc argumento, nam vſum Fermentati ipſa approbauit. Deinde quis non videt Scholaſticos ad hanc rem pertractandam præoccupatis mentibus acceſſiſſe? cum enim ab infantia ſola Azyma offerri viderint, eaque ſola in ſcholis, & in exedris prædicari audierint; ea ſola ſemper in vſu fuiſſe crediderunt; &*

hoc

hoc poſito varias ſubinde conuenientias, variaque argumenta excogitarunt, vt quod ſemel conceperant firmiùs ſtabilirent. Veræ autem ſapientiæ nihil magis aduerſatur, quàm à teneris annis certis quibuſdam principijs ſine delectu, & examine mentem imbuiſſe.

Cui obiectioni ſatis arbitrio meo opportunè reſponderetur, videlicet, non benè argui Fermentati conſuetudinem apud Latinos ex Photij ſilentio de Azymis. Nam ſi ipſe Photius omnia, quibus à Græcis Latini diſcrepant circà ritus obijcere nobis voluiſſet, profectò volumen integrum obijciendorum exarare oportebat, nimirùm, nos plura Altaria in Eccleſijs conſtruere, cùm ipſi vnicum tantùm habeant: Nos Aquam frigidam Vino Calicis admiſcere, cum ipſi feruidam ponant. Nos vnicum magnum, videlicet Quadrageſimale ieiunium facere, ipſos verò quatuor. Primum Quadrageſimale, quod antecedit Paſcha, & omnibus alijs maius eſt, & apellatur ἡ ἁγία μεγάλη τεσσαρακοστὴ, ac per ſeptem hebdomadarum ſpatium protrahitur. Secundum incipit à die Lunæ poſt Octauam Pentecoſtes, & perdurat vſque ad natalitia SS. Apoſtolorum, Petri, & Pauli, denominaturque ἅγιοι Απόστολοι. Tertium in honorem B. Mariæ Virginis dicatum, ideo τῆς ἁγίας παρθένου vocitant, & incipit à prima die Auguſti, vſque ad 15. Quarti

 ini-

initium eſt die 15. Nouembris vſque ad 25. Decembris, & ſic per ſpatium 40. dierum, ac τὸν χριστόγονον vocant. Nos vnicâ aquæ aſperſione baptizare, ipſos verò tribus, & ſic de cæteris ritibus, & orationibus, quibus hi ſacra peragunt, quæ porrò plurima ſunt, & longè à noſtris diuerſa, vt videre eſt apud eruditiſſimum Goar in ſuo *Eucbologio*. Siue *Rituali* Græcorum.

Ad quæſitum autem, quod precatur eruditos viros, vt ipſum doceant an poſt Chriſtum, & deinceps per annos mille, vlla vnquam de Azymis, eorumque vſu in ſacrificio mentio habita reperiatur &c.

Reſpondeo cum allegatis in Cap. 3. per ſingula ſæcula, vſque ad Schiſma Cerularij, Azymi mentionem vel expreſsè, vel ſub vmbra reperiri.

Ad aliud argumentum, quod plerique Scholaſtici tamquam inſolubile opponunt, Chriſtum primâ die Azymorum Euchariſtiam inſtituiſſe, ideoque Eccleſiam eius exemplo Azymo vſam eſſe, quanti ſit roboris &c.

Reſpondeo: Si non omnes Eccleſias, Latinam aut Saltem Romanam ex traditione Apoſtolorum Azymo vſam fuiſſe. Et licet, vt idem ait, non omnis Chriſti actio præceptum contineat; Attamen Eccleſia Romana, ſollicita antiquarum conſtitutionum cuſtos cùm accepiſſet Euchariſtiam

in

in Azymo inſtitutam fuiſſe, veriſimile eſt eam in Azymi vſu continuaſſe, vt ſupra fuſiùs in Cap. III. & primo ſæculo diſſeruimus. Inſuper ſi integra fides præſtanda eſſet Auctoritatibus per Mabillonium allatis, validum eſſet fundamentum ad probandum ferè omnes Eccleſias Apoſtolicarum traditionum tenaces, Azymo vſas fuiſſe. Nam Cap. IV. demonſtrat Maronitas, Armenos, Iacobitas, Mozarabes, Gothos, Hieroſolymitanos, Pane Azymo vſos eſſe. Imò ipſos Græcos in exordio fidei eodem in ritu concordes extitiſſe.

In numero V. ſententiam illorum reijcit, qui exiſtimarunt Hæreſeos Ebionæorum occaſione (qui docebant legalia præcepta ſimul cum Euangelio ſeruanda eſſe, ac ideo in Myſterijs Azymo Pane vtebantur) in eorum deteſtationem vniuerſam Eccleſiam Orientalem, & Occidentalem reiectis Azymis *Fermentum* adhibuiſſe. Poſtea Hæreſi illâ abolitâ Latinam Eccleſiam ad priſtinum Azymorum vſum redijſſe, Græcam verò in Fermentato permanſiſſe. Vndenam prodierit hæc Hiſtoria, incertum eſſe aſſerit.

Addit hanc ſententiam referre D. Thomam in 4. Sententiarum Diſt. 11. Quæſt. 2. Art. 2. Quæſt. 3. eamque tribuere Leoni Papæ. Sed quis fuerit iſte Leo nec ipſum dicere, nec illum reperijſſe, Franciſcus Suarez teſtatur Tom. 3. in 3. parte Diſp.

Diſp. 44. Sect. 3. ſubdit idem Bona: *Quis igitur huic narrationi fidem præſtet, cuius apud antiquos Scriptores per mille ferè annos nullum appareat veſtigium &c.* Sua tamen reſponſione ſpecioſum hoc Bonæ argumentum non caret. Nam perpendendum eſt D. Thomam vberiori antiquorum lectione, exactiorique Scriptorum peritiâ munitum fuiſſe, quàm Bona, ac eorum Sectatores. Cum teſte Eccleſiâ, nullum eſſet Scriptorum genus, in quibus Aquinas non fuiſſet quam diligentiſſimè verſatus. Hodie autem omnia Antiquorum ſcripta quæ tempore D. Thomæ habebantur non extant, vel ſi adhuc extant, fortaſſe in aliqua Bibliotheca recondita iacent. Validiſſimum pro Thoma argumentum deduci poſſe autumo ex magno inſignium Scriptorum numero, qui eiuſdem Thomæ ſententiam ſunt ſequuti, quorum Catalogum hîc recenſere longum, atque minus vtile videretur; quare ſufficiat eorum tantummodo tres ſanctitate, Dignitate, & Doctrinâ longè præſtantes indicare; Nempè S. Bonauenturam, Ioannem de Turre-Cremata, & Staniſlaum Hoſium, omnes Cardinales. Licèt verò hæc D. Thomæ ſententia admittatur, non ideo noſtra deſtruitur opinio, quod Azymorum vſus in Eccleſia Latina, aut ſaltem Romanâ perpetuus exstiterit. Cum licèt propter Hæreſim Ebionæorum, per breue temporis

ſpa-

Digitized by Google

ſpatium *Fermentum* admiſſum fuerit, non propterea euincatur Azymi vſum prohibitum in perpetuum fuiſſe, ſed ſolùm ad tempus, animo tamen illum reaſſumendi, & in poſterum continuandi. Addo quod Ebionæorum Hæreſis cùm ortum habuerit in Armenia, ſeque tunc in Orientalem plagam diffuderit, veriſimile eſt in eis partibus Azymi vſum fuiſſe per aliquod breue tempus interdiƈtum; eodem tamen in Eccleſia Romana, quæ in Occidente eſt, retento; cùm à prædiƈta Hæreſi immunis extiterit.

Præterea cum hæc Hæreſis inſurrexerit in principio I. Sæculi, in quo nondum certi Canones, certæque leges circâ Rituum obſeruationem in Eccleſia præſcriptæ fuerant, ideò qualiſcunquè ritus tunc obſeruaretur, nullam vtique legem in Eccleſia inducebat.

Inſuper numero VI. conatur oſtendere quoſdam Scriptores poſt Cerularij Schiſma à Scholaſticis deceptos fuiſſe, aſſerentibus Latinam Eccleſiam ſui iam ab exordio Azyma offerre conſueuiſſe. Ad quam opinionem reijciendam exemplum affert Mulieris, ſiue Matronæ incredulæ, quæ ſanƈtiſſimo Pontifici Gregorio Magno celebranti ſolitas Oblationes obtulerat, quas è communi Pane, atque adeo Fermentato fuiſſe putat. Verùm quanta ſit huius argumenti vis, ſuprà iam demonſtratum

tum eſt. Alium quoque loco apponit B. Ambroſij de communi Pane loquentis: Cui nos ſuprà iam ſatisfeciſſe opinamur. Hinc pro maiori ſuæ ſententiæ robore adducit Canonem IV. Concilij XVI. Toletani celebrati anno Chriſti 693. qui ſic ſe habet: *Ad conuentus noſtri agnitionem delatum eſt, quod in quibuſdam Hiſpaniarum partibus quidam Sacerdotum, partim neſcientiâ impliciti, partim temerario auſu prouocati, non Panes mundos, & ſtudio præparatos ſupra menſam Domini in ſacrificio offerant, ſed paſſim quomodo vnumquemque aut neceſſitas impulerit, aut voluntas coëgerit, de Panibus ſuis vſibus præparatis, cruſtulam in rotunditatem auferant, eamque ſuper Altare, cum Vino, & Aqua pro ſacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in ſacræ auctoritatis Hiſtoria vſpiam geſtum perpenditur.* Et paucis interiectis; Quibus ex Euangelio oſtendunt Chriſtum non particulam Panis, ſed integrum Panem accepiſſe, & conſecraſſe, atque ex eo particulas confregiſſe, quas particulatim Diſcipulis tribuit, ſubdunt: *Vnde temeritatis eius, atque neſcientiæ cupientes terminum ponere, id vnanimitatis, noſtræ delegit conuentus, vt non aliter Panis in altari Domini ſacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer, & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantum*

Obla-

Oblata, ſecundum quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat: cuius reliquiæ, aut ad conſeruandum modico loculo abſque aliqua iniuria conſeruentur, aut ſi ad conſumendum fuerit neceſſarium, non ventrem illius qui ſumpſerit graui farciminis onere premat, ſed animam alimoniâ ſpirituali reficiat. Quid clarius hoc Canone ad id quod intendimus aſtruendum? Si enim debuiſſent illi Sacerdotes Azymum Panem conſecrare, de hoc ante omnia redarguti fuiſſent, quod non Azymum prout mos ferebat, ſed Panem vſualem, & communem, & conſequenter Fermentatum conſecrarent. Atqui de hoc Synodus tacet, & eo tantùm nomine illos caſtigat; quod Panes non erant nitidi, & ad illud miniſterium, ſicut par erat, peculiari ſtudio præparati, atque fortuitò, & indecenter de communi menſa decerpti. At idem facere videtur Concilium Calchutenſe in Anglia an. 787. dum Cap. 10. Concilio quoque Nannetenſi ſupra citato conſtituunt Patres: *Vt de oblationibus, quæ offeruntur à Populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de Panibus, quos offerunt Fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis Presbyter conuenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, vt poſt Miſſarum ſolennia, qui communicare non fuerunt parati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant.* Quod decretum ijſdem verbis extat inter Capitula, quæ

T Hinc-

Hincmarus Remenſis dedit Presbyteris ſuis anno 852. Cap. 7. & hinc liquet nullum fuiſſe tunc diſcrimen inter Panem, qui ſupererat conſecrationi, & alium communi vſui Presbyteri deſtinatum, quia vel ex illo, vel ex iſto indiſcriminatim partes haberi pro Eulogijs illi Antiſtites decreuerunt. Atque hinc etiam confirmatur quod ſuperiùs dictum eſt, orto iam Schiſmate Græcorum, adhuc in Eccleſia Latina vſum Fermentati permanſiſſe.

Pro huius autem argumenti, quod VI. Canoni Concilij XVI. Toletani præcipuè innititur, ſolutione, plurimum conferre mihi perſuaſum eſt, cauſam tantæ diuerſitatis Cæremoniarum, ac Rituum aperire, quibus eâ tempeſtate Hiſpaniarum Eccleſiæ Romanis ritibus contraibant, adeo vt ibidem Concilium cogi, & quamplura damnari, emendarique neceſſum fuerit. Cauſam verò potiorem haud aliam inuenio, quàm irruptionem Gothorum in Hiſpaniam, qui res Catholicas hæreſi Arrianâ tandiu vexarunt, & in diuerſa traxerunt. Totum id accipe ab Hiſtoricis, quibus, & ſi recèns ſcripſerint, ea quæ de Nationibus ſuis ediderunt, notiora quàm cæteris fuiſſe par eſt. Igitur Aluarus Gomezius Caſtrus Toletanus in Libris, quos de vita, & rebus geſtis Franciſci Ximenij Ciſnerij, Hiſpaniæ Cardinalis, & Archiepi-

ſcopi-

ſcopi Toletani, ſcripſit, ea quæ Gothi circà Sacra in Hiſpanijs geſſerant, ſic narrat Lib. 2. *Gens Viſigotthica (hoc eſt, qui Occidentales dicebantur Gotthi) quo tempore Hiſpaniam penè vniuerſam Honorij Imperatoris permiſſu occupauit, cum eſſet Arrianæ impietatis dogmate infecta, tantam Catholicis eius prouinciæ Eccleſijs perturbationem inuexit, vt cultus diuini in varios ritus, Cæremoniaſque diuiſi fuerint: Et neque inter Orthodoxos quidem ipſos, vna vel ſacrificandi, vel horarias preces (quæ Canonicæ dicuntur) pſallendi conſuetudo eſſet. Sed poſtquam vniuerſa Gotthorum gens, Leandri & Fulgentij ſtudio, poſt annum centeſimum circiter quadrageſimum ex quo in Hiſpaniam venerat, antiquâ impietate abdicatâ, Orthodoxam fidem vnà cum ſuo Rege Recaredo cupidiſſimè accepiſſet, pace Eccleſijs reſtitutâ, de Sacris communi Conſilio conſtituendis agitari cœptum eſt: Idque potiſſimum in Vrbe Regia. Sic enim Toletum poſt aduentum Gotthorum, qui ſedem Regni illuc tranſtulerunt, cognominabant, cum antea (vt Rodericus Toletanus Pontifex rerum Gotthicarum diligens Scriptor tradit) à Vandalis, & Selingis, Germaniæ gentibus, qui vnà in Hiſpaniam commigrarunt, Hiſpalis Vrbs Regia, & vocata, & habita fuerit. Toleti igitur conuentu Eiſpiſcoporum indicto (quod Concilium IV. Toletanum fuiſſe ferunt) Patrum decreto ſancitum eſt, vt in vni-*

uerſis Hiſpaniæ Eccleſijs, preces priuatæ, Miſſarum oblationes & omnes publicæ Pſalmodiæ, vnico & eodem exemplo à Sacerdotibus celebrarentur. Cura hunc Ordinem inſtituendi Iſidoro Pontifici Hiſpalenſi ſummâ tunc Sanctimoniâ, & Doctrinâ claro, demandata fuit: Quanquam in hoc Auctores variant: Nonnulli enim Leandrum Hiſpalenſis Eccleſiæ antiquiorem Antiſtitem ei muneri præfectum aſſerunt, cui Iſidorus comes datus fuerit. Sed illud conſtat, ab Iſidoro eum Ritum Iſidorianum Officium fuiſſe nuncupatum. Perſeuerauit in Hiſpanis Eccleſijs hæc Sacrorum religio, quandiu res Gotthorum in ea floruerunt. Hoc eſt centum viginti circiter annos, vſque ad miſerandam illam calamitatem, cum per Mauros Arabeſque vniuerſa penè Regio, cæde, incendijſque vaſtata, fuſis, fugatiſque Hiſpanorum copijs, in Barbarorum ditionem venit.

Sed non abs re fore putauerim, ſi otioſiùs in hac Hiſtoria immorarer, ſedulò inquirens, quamnam ipſi Gothi Religionem profeſſi fuerint, & quonam tempore in Hiſpaniam irruperint. S. Auguſtinus Lib. XVIII. de Ciuit. Dei Cap. LII. Gothos Catholicos fuiſſe aſſerit. Rodericus verò Archiepiſcopus Toletanus de rebus in Hiſpania geſtis Lib. 1. Cap. 2. Anno 351. Scribit è Gentili Idololatria ad fidem Catholicam conuerſos, ſed Valen-

lentis eorum Imperatoris conamine, qui Arrianum dogma amplectebatur, in eius errorem inci-diſſe, ſicque permanſiſſe vſque ad tertiam Synodum Toletanam, quæ celebrata fuit anno 589. adeòque tempore eorum ingreſsûs erant Arriani. Eorundem Gothorum in Hiſpanias ingreſſum tradit Paulus Oroſius lib. 7. Cap. 43. anno ab Vrbe condita 1168. qui incidit in annum Chriſti 414. narratque Conſtantinum Comitem apud Arelatum Galliæ Vrbem, conſiſtentem, Gothos Narbonâ expuliſse, atque in Hiſpaniam abire coëgiſſe. Vnde clarè arguitur Rituum diuerſitatem ex diuerſitate Religionis fluxiſse, quia Gothi Arriani, Hiſpani verò Catholici erant. Poſt verò IV. Concilium Toletanum, Gothi in vnitate Eccleſiæ tanquam Catholici per centum, & vltrà annos permanſerunt. Et cùm laudatus Mabillonius oſtendat in Cap. 8. Gothos Azymo in Sacrificio vſos fuiſse, & Concilium IV. Toletanum celebratum fuerit anno 610. ſiue 633. & permanſerint ipſi Gothi in fide vſque ad inuaſionem Sarracenorum, quæ contigit anno 714. & aliud Concilium XVI. Toletanum fuerit celebratum anno 693. in eorum primaria Vrbe ſub Egica Gothorum Rege, hinc argui poteſt Canonem, quem Concilium hoc edidit de vſu Panis in Sacrificijs, non intelligendum eſse niſi de Azymo, cum ipſi tali Pane in ſacri-

ficijs

ficijs vterentur. Inſuper ſi Canonis verba rectè perpendantur, non reſpiciunt niſi formam, & figuram Panis, non autem qualitatem Azymi, vel Fermentati; imo pro Azymo potiùs interpretandum eſse puto, cum in eo de Pane in Cœna Domini, ab Euangeliſtis expreſso, mentio fiat, qui Azymus fuit, vt ſuprà Cap. 1. demonſtrauimus. Quin etiam de Pane Azymo Concilium intellexiſse, teſtantur & verba Canonis, nempè: *Integer, nitidus, & ſtudio præparatus*. Dicitur *Integer*, quòd particulæ, & fragmento Panis communis non conuenit. *Nitidus* videlicet albus, vt eſt Azymus. *Studio præparatus*, quia Azymi Panes in fine VII. Sæculi non amplius in vſu erant, adeoque ſi in Sacrificijs Azymo vti voluiſſent, illum ſtudio præparâſse oportebat. Præterea lubet hîc ipſa Canonis verba adamuſſim apponere, cùm ab Eminentiſſimo Bona haud integrè referantur; ea verò ſic ſe habent: *Licet multæ ſanctorum Patrum, in fide ſancta nobis præcedentium, de rebus neceſſarijs ſententiæ promanauerint; tamen quia & nunc vſque numeroſæ, vltrà quàm oportet, fieri prænoſcuntur, ideò neceſſarium duximus illicitis auſibus ponere terminum. Ad Conuentus etenim noſtri agnitionem delatum eſt, eoquod in quibuſdam Hiſpaniarum partibus quidam Sacerdotum; partim neſcientiâ impliciti, partim temerario auſu*
pro-

prouocati, non Panes mundos, & ſtudio præparatos ſuprà menſam Domini in Sacrificio offerant; ſed paſſim quomodo vnumquemque, aut neceſſitas impulerit, aut voluntas coëgerit, de Panibus ſuis vſibus præparatis, cruſtulam in rotunditatem auferant, eamque ſuper altare cum Vino & Aqua, pro ſacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in ſacræ Auctoritatis Hiſtoria vſpiam geſtum perpenditur. Nempè etenim per Matthæum Euangelica veritas inquit. Cænantibus autem eis, accepit Ieſus Panem, & benedixit, ac fregit. *Item per Marcum:* Et manducantibus illis, accepit Ieſus Panem, & benedicens fregit, & dedit eis: *Rurſumque per Lucam:* Accepto Pane gratias egit, & fregit, & dedit eis: *Item Apoſtolus:* Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accipit Panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc eſt Corpus meum. *Denique quid aliud innuitur, niſi quia Panem integrum accipiens, & benedicendo confringens, particulatim vnicuique Diſcipulorum ſumendum contradidit. Quod & nos in poſtmodùm facturos edocuit, haud dubiè ſignificans, quod omnis buccella Panis, non omnis Panis buccella. Vnde & in ſequentibus ait; dum ſuum traditorem mallet ſignificari:* Cui buccellam Panis porrexero, ipſe eſt. *Ac proindè, quia & Redemptoris verba teſtantur, quod Panem integrum accipiens,*

Digitized by Google

cipiens, non buccellam, quem poſt benedictionem confrangens ſuis particulam Diſcipulis dederit, & Paulus Apoſtolus ſimiliter nihilominus narrat, quod Panem accepit, & gratias agens confregit, necnon & illud, quod Chriſtus de quinque Panibus confractis turbam refecerit; quid aliud inſtituit nos, niſi vt Panem integrum ſumentes, ſuper Altaris eius menſam benedicendum ponamus; non particulam Panis, quod Caput noſtrum nequaquam feciſſe perpendimus. Nam ſi homo ſuæ vitæ diligentiam ſtudioſus adhibere procurat, quantò magis ſacris Dei cultibus nitorem debitum exhibere ſummopere debet? Vnde temeritatis huius, aut neſcientiæ cupientes terminum ponere, id vnanimitatis noſtræ delegit conuentus, vt non aliter Panis in Altari Domini, Sacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer, & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantum Oblata, ſecundum quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat, cuius reliquiæ, aut ad conſeruandum modico loculo abſque aliqua iniuria faciliùs conſeruentur, aut ſi ad conſumendum fuerit neceſſarium, non ventrem illius qui ſumpſerit grauis ſarciminis onere premat, nec quòd in digeſtionem vadat, ſed animam alimoniâ ſpirituali reficiat: Ita nempè vt ab ijs, qui ea ſumpſerint, priſcorum Canonum inſtituta ſeruentur: Igitur quicumque hoc de-

cre-

cretum noſtrum temerandum crediderit, *animaduerſioni diuini Iudicij ſubiacebit*, *&* *anni vnius ſpatio à Communione alienus manebit*. Satis igitur ſuperque argumento Eminentiſſimi Bonæ reſponſum eſſe arbitror, cùm demonſtratum ſit huiuſmodi Canonem de Pane Azymo mentionem feciſſe, non autem de Fermentato, vt ipſe putabat.

Septimum Bonæ argumentum pro Fermentato, rationibus hiſce fulcitur; nempè quod ſi veteres Patres percurrere, & omnem voluere antiquitatem libeat, inuenietur procul dubio à tempore Apoſtolorum, & deinceps, de Pane Euchariſtico omnes loqui, vt non niſi de communi, & Fermentato commodè intelligi, & explicari queant; quod vt probet, expoſitum à nobis iam ſuprà Cap. 3. Sæculo II. in fauorem Azymi, Tertulliani locum adducit: *Non ſciet Maritus &c.* Addit inſuper D. Auguſtini auctoritatem, qui in Epiſtola 59. loquens de Pane Euchariſtico: *Benedicitur*, (ait) *ſanctificatur*, *&* *ad diſtribuendum comminuitur*. Quia nimirùm integer Panis conſecrari, & ex eo particulæ communicantibus diſtribui ſolebant.

Cui ego rationi reſpondeo: Panem, qui benedicebatur, ſanctificabatur, & ad diſtribuendum comminuebatur, tam Azymum, quàm Fermentatum eſſe potuiſſe, & ſic argumentum non concluV

clu-

cludere. Quæ reſponſio alteri etiam loco adaptatur Gregorij Turonenſis Lib. 1. de Glor. Martyr. Cap. 87. ab eodem Bona citato, vbi ait, Epachium Presbyterum, cùm indignè celebrare præſumpſiſſet, ſumpto Sacramento in terram corruiſſe, & proieciſſe ab ore ſacri Myſterij particulam, quam dentibus comminuere non potuit. Verumtamen ſi vera quiſque fateatur, difficultas comminuendi Panem faciliùs cadit in Azymo, quia durior eſt, quàm in Fermentato, quia mollior. Deinde poſt has Auctoritates ſubdit: *Alia multa his ſimilia occurrunt paſſim in Sanctis Patribus, & Concilijs, ſed nimis in longum irem, ſi vellem ſingula recenſere. Ruperto Abbati, & alijs recentioribus aſſerentibus Eccleſiam Romanam nunquam in Sacrificio Fermentum admiſiſſe, quæ fides habenda ſit, ex dictis manifeſtum eſt.* At ego bonâ tanti Scriptoris veniâ, reſponderem, omninò contrarium deduci, præcitataſque Auctoritates Azymum potius, quàm Fermentatum reſpicere.

Præterea ſecundam rationem ſic inſtruit: *Nec vnquam Humbertus Cardinalis, & reliqui Scriptores, qui primitùs aduerſus Græcos acerrimè pro Azymis decertarunt, hanc perpetui moris præſcriptionem, in ſuæ cauſæ defenſionem & robur afferre auſi ſunt, ſcientes nihil in ea præſidij fore, quòd ſeriùs à Latinis recepta Azyma non ignorarent.*

Qui-

Quibus ego reſpondeo ſummum quæſtionis ſcopum inter Latinos & Græcos, non tam in vſu, quàm in origine Azymi conſtitiſſe, an ſcilicet, Chriſtus Dominus noſter ſacram Euchariſtiam in Azymo, vel Fermentato inſtituerit; qua de re acerrimè inter ſe diſceptarunt, vt ſupra Cap. I. ſatis oſtenſum eſt.

Tertiam rationem deſumit ex Petro Cluniacenſi, qui altero poſt Humbertum ſæculo claruit. Hic enim lib. 4. Epiſt. 17. ad S. Bernardum: *Teſtes (*inquit*) ſumus & nos temporis noſtri, qui Romanam Eccleſiam, & totam Latinam linguam offerre Deo ſalutare Sacrificium Azymi Panis videmus: cum Græca Eccleſia, & maxima Orientis pars, ac Barbaræ, ſed Chriſtianæ gentes ſacrificare de* Fermentato *dicantur*. Omnem autem argumenti vim fundat Bona in Verbis: *Temporis noſtri*. Quibus alia interpretatio poterit aſſignari, videlicet; Petrus Cluniacenſis petit à D. Bernardo, vt inter vtriuſque, videlicet Cluniacenſis, & Ciſtercienſis Ordinis Monachos, non obſtante locorum diſtantiâ, mutua charitas intercedat, quam nulla occulta varietas ſeparet, quod demonſtrat exemplis. *Apud antiquos (*ait Petrus*) Paſchalis temporis diſſonantia, apud modernos ipſius Sacrificij Chriſtiani inter Græcos & Latinos nota varietas, quæ charitatem lædere, vel Schiſma aliquod vnitatis gi-*

gnere minimè potuerunt. Quare videtur, quod inter allata per ipſum exempla de antiquorum rituum diſsonantia, adhuc vigebat Panis Azymi & Fermentati diuerſitas, vt indicant verba illa: *Apud modernos ipſius ſacrificij Chriſtiani inter Græcos, & Latinos nota varietas*. Nempe de Azymo & Fermentato. In hoc ſenſu intelligendum eſse locum iſtum exiſtimo, ſi pacato animo legatur. Alia nonnulla argumenta ex Græcis deſumpta, tanquam infirmiora prætereo, & ad aliud me confero, quod licèt ſententiæ ſuæ contrarium ſit, tamen ad ſui fauorem accommodat. Sic enim Bona: *Non poſſum autem hoc loco omittere, aut diſſimulare HRabani Mauri ſententiam, qui Lib. 1. de Inſtitutione Cleric. (quem ſe ſcripſiſſe teſtatur anno Domini* 819.) *Cap.* 31. *ait*: Panem infermentatum, & Vinum aquâ mixtum in Sacramentum Corporis, & ſanguinis ſanctificari oportet. *Quæ verba, & alia quæ ſequuntur ad comprobandum Azymorum vſum, aſſertioni noſtræ procul dubio aduerſari videntur. Sed dum attentiùs conſidero nullam viuente HRabano de* Azymo, & Fermentato *controuerſiam extitiſſe, nec ab alijs illius ſæculi Scriptoribus Azymorum pro vſu ſacrificij mentionem fieri, ſuſpicatus ſum addita illa ab aliquo recentiore ex ritu ſui temporis. Vt igitur hac de re certior fierem, ad Codices MS. confugiendum eſſe*

exi-

exiſtimaui, vnumque reperi in Bibliotheca Vaticana num. 1149. *ſic inſcriptum* : HRabani Mauri Liber de Officijs Eccleſiaſticis. *Et ſic incipientem*: Qualiter ad diuinum Officium inſtrui oportet ſanctiſſimum Ordinem Clericorum, inſtitutio Eccleſiaſtica narratione declarat multimodâ. *Eſt autem Lib.* 3. *citati operis*: De Inſtitutione Clericorum. *Iſque in multis ab edito diuerſus, ex quo meam ſuſpicionem haud temerariam fuiſſe cognoui, librumque HRabani à recentioribus auctum, & interpolatum fuiſſe non inconſultè iudicaui*.

Hæc ille: Sed huic opinioni cum ego minimè acquieſcerem, Vaticanam Bibliothecam adiui Codicem præcitatum obſeruaturus, cuius Copiam mihi fecit Cl. Vir Emmanuel à Schelſtrate eiuſdem Bibliothecæ Præfectus, ac Vaticanæ Baſilicæ Canonicus. Cùm autem quid in eo contineretur ſedulò perſcrutarer, hunc non omnia HRabani opera, ſed tantummodo partem Libri III. *De Inſtitutione Clericorum*, vbi traditur de Rhetorica, eſſe cognoui. Hoc igitur haud contentus, rogare non deſtiti eundem Cl. Virum, an alius eiuſdem Auctoris Codex adeſſet? Ille verò ſumma cum humanitate mihi alium obtulit Bibliothecæ Palatinæ ſub num. 294. ejus Characteris, qui ſæculum ferè vndecimum redolet, integrum, ſanum, nec aliquâ ſui parte ſuſpectum. In quo etſi

quod

quod deſiderabam, haud repertum fuerit, cùm etiam iſte ſit operum HRabani pars aliqua, nihilominus rem pretioſiorem ſub titulo *de Eulogia*, expiſcati fuimus, vbi hæc leguntur: *Licet vnicuique Sacerdoti, vt ſumat de decimo ſuo, quod illi obtulit Populus, & faciat Azymos Panes per ſingulos Dominicos dies, & det Populo Eulogiam in Dominico die poſt Miſſam, his qui non ſumant ſacrificium Domini. Ideo debet Sacerdos Populo dare Eulogiam, quiquidem non ſunt mundi de vxoribus ſuis, ac de alijs malis operibus, vt aſſumant Sacrificium Domini.*

Ex quibus tria notanda ſunt. Primum, quod farinam pro confectione ſacri Panis Euchariſtici Populus offerebat, vt ſupra demonſtrauimus auctoritate Honorij in ſua *Gemma Animæ*. Secundum, quod non ſolùm Euchariſtia, verùm etiam Eulogiæ erant Azymæ, vt facilè conijci poteſt. Tertium, quod adhuc ſæculo IX. diſtribuebantur Eulogiæ. Huius autem & quidem vnius Scriptoris Auctoritas, ſatis ſuperque videtur eſſe ad Azymorum vſum ante Photij Schiſma probandum, cùm HRabanus obierit die 4. Februarij 856. & Conciliabulum Conſtantinopolitanum, vnde Schiſma Photianum erupit, anno 859. celebratum fuerit.

Octauum argumentum deducitur ab eodem

Bo-

Bona ex decretis Melchiadis, & Siricij, & ex Epiſtola Innocentij I. ad Decentium Epiſcopum, de quorum ſenſu cùm peculiari Capite plurima à nobis congeſta ſint, ea pro reſponſione ſufficere exiſtimantes, manum ſtylumque ſuſpendimus, ac concludimus hæc eſse peculiaria, præcipuaque argumenta, quibus iam laudatus, ac nobis præcipuè laudandus, Eminentiſſimus Cardinalis Bona ad probandam hanc ſuam de *Fermento* ſententiam vſus eſt. Cæterùm quanti momenti, ac ponderis illa ſint, quiuis ex ipſiſmet, & ex reſponſionibus noſtris deducat. Pro quarum confirmatione addi poſſe videtur Anaſtaſij Bibliothecarij, & aliorum Scriptorum altum de Azymo ſilentium, dum ipſi inſtitutiones rituum longè minoris momenti proferunt, certiſque Pontificibus tribuunt, ac Azymi inſtitutionem nullo modo exponunt, ex quo deducitur poſt Chriſti Cœnam ſemper in Eccleſia ſaltem Romana in vſu fuiſſe.

CA-

CAPVT SEPTIMVM.

Auctoris Sententia de Fermento *proponitur*.

RETVLIMVS iam, Lector, in tui gratiam commoditatemque, omnium, quos hac de re ſcripſiſſe ſciamus, Auctorum ſententias, & eorum Libros non ſine magno Labore in compendium reduximus: è quibus vidiſti profectò quorundam adeo obſcurum ſcribendi genium, ac ſtylum, vt Sepias imitatos putaueris, quæ atramentum per aquas effundunt, ne capiantur: Quorundam etiam inuicem ſeſe impugnantium docta diſſidia: Denique nonnullorum facilitatem, qui Græcis manus dantes, apud Eccleſiam Latinam in vſu Panem Fermentatum fuiſſe exiſtimarunt.

Adduximus etiam Thomaſij ſententiam, qui tandem huiuſmodi *Fermentum* quid eſſet aperuit. Sed ferrum radici haud admouit, cùm adhuc de pluribus dubitandi locus ſuperſit, pro quibus, quoad fieri per nos poſſit dilucidandis, ſenten-

tiam

Digitized by Google

tiam noſtram, quæ inferius non perfuntoriè probanda eſt, tandem aliquando ita proponimus.

I. Chriſtus Dominus cum Apoſtolis in vltima ſacra cœna diſcumbens, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, vt ſcribit Euangeliſta Matthæus Cap. 26. num. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus Panem, & benedixit, & fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum &c.*

II. Diſcipuli quod præceperat Magiſter, poſt eius obitum in vſum deduxerunt, vt habemus in Actibus Apoſtolorum. Cap. 2. num. 42. & 46. Vbi: *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis Panis, & Orationibus. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in Templo, & frangentes circà domos Panem ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis collaudantes Deum.*

III. Iſte Diſcipulorum, cæterorumque Fidelium conuentus, poſtea *Eccleſia* denominatus fuit, quæ vox ipſis locis, in quibus congregabantur, *Eccleſiæ* nomen impoſuit.

IV. Creſcente poſtea in vniuerſi Orbis partibus Chriſtianâ Religione, Epiſcopi, qui in locum Apoſtolorum, Presbyterique, qui in locum Diſcipulorum electi fuere, Saluatoris noſtri exemplo (qui: *Acceptis quinque Panibus, & duobus Piſci-*

bus, aſpiciens Cœlum benedixit, & fregit, & dedit Diſcipulis Panes; Diſcipuli autem turbis. Matth. 14. num. 19.) in Eccleſijs Populo, præmiſſis orationibus, oblatum Panem frangebant.

V. Vnuſquiſque Fidelium non ſolùm offerebat Panem, ſed etiam Vinum.

VI. Fideles antiquarum traditionum haud ignari, nempe quod omnes ſui maiores de eodemmet Pane ab Apoſtolis benedicto participauerant, ipſi quoque omnes eiuſdem Panis, quem Epiſcopus conſecrarat, participes fieri curabant. At quia vel ob locorum diſtantiam, vel Cœli intemperiem, aut alia quauis de cauſa, in vnum omnes conuenire non poterant, ne id ipſi grauiſſimum videretur, & animo angerentur, à Patribus modus excogitatus fuit, quo niſi in totum, poſſent ſaltem in partem de eodemmet Pane ab Epiſcopo conſecrato participare; ac pro inde Pontifex plures Oblatas conſecrabat, è quibus vnam frangebat, diuidebatque in tot partes, quot erant Eccleſiæ Titulares, ad quas inde hæ particulæ mittebantur.

VII. Singulæ partes potiùs in Vaſis Vitreis quàm in Sacculis ſingulis Acolytis traditæ fuere, qui eas ad ſingulos Titulos ferrent.

VIII. Presbyteri Titulares non conſecrabant, niſi poſtquam præfatam particulam à Pontifice conſecratam acceperant, quam ſimul cum Oblata

ab

ab ipſiſmet conſecrata ponebant; quare particula illa Pontificis ita cum oblatione Titularis commixta, *Fermentum* dicta fuit.

Hæc itaque de *Fermenti* voce noſtra ſententia eſt, quam rationibus, & Auctoritatibus confirmare debemus.

Et quia quæ primo, & ſecundo numero ſupra expoſita ſunt, iam Sacræ Scripturæ locis fulciuimus, ad tertium deſcendimus, in quo dictum eſt, Chriſti Fidelium conuentum, ſiue congregationem *Eccleſiam* denominatam fuiſſe.

III. Eccleſia igitur, quæ Græca vox eſt, nempe Ἐκκλησία, à Græcis Patribus ſic definitur: Ἐκκλησία dicitur ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν. *Ab euocando*. Cyrillus Hieroſolymitanus Cathech. XVIII. φωτιζόμ. pag. 177. Ἐκκλησία καλεῖται φερωνύμως, διὰ τὸ πάντας ἐκκαλεῖσθαι, καὶ ὁμοῦ συνάγειν. *Aptè Eccleſia vocatur quaſi dicas* conuocatio: *propter omnium conuocationem, & congregationem*. Apud Athanaſium quæſt. 37. de Parabolis Scripturæ Tom. 2. pag. 402. Ἐκκλησία καλεῖται, διὰ τὸ πάντας ἐκκαλεῖσθαι. *Eccleſia vocatur* euocatio, *quia omnes euocantur*. Verùm à S. Ioanne Chryſoſtomo in Pſal. 150. *Congregatio, ſeu Conuentus* definitur ſic: Ἐκκλησία συστήματος, καὶ συνόδου ἐστὶν ὄνομα. *Eccleſia Congregationis, & Conuentûs nomen eſt*. Et à S. Ignatio in Epiſt. ad Trallenſes *Synagoga* vocatur. ait

enim: Ἐκκλησία ἐκλεκτὴ συάθροισμα ἅγιον, συναγωγὴ ὁσίων. *Eccleſia electa, Coetus ſanctus, Synagoga ſanctorum*. Plures aliæ Græcorum Auctoritates adduci poſſent, quæ tamen breuitati ſtudentes omittimus, Latinos Patres allaturi, qui hanc vocem in eodem ſenſu acceperunt, vt ex Actis Apoſtolorum Cap. 29. *Et cum hoc dixiſſet dimiſit Eccleſiam*. Ac ex S. Auguſtino Epiſt. 157. *Sicut* (inquit) *appellamus Eccleſiam Baſilicam, qua continetur Populus, qui verè appellatur Eccleſia, vt nomine Eccleſiæ, ideſt, Populi, qui continetur, ſignificemus locum, qui continet &c.* Idem in Quæſt. ſuper Leuit. lib. 3. quæſt. 57. *Eccleſia dicitur locus, quo Eccleſia congregatur*. Idque etiam patet ex Amalario lib. 3. de Eccl. Off. Cap. 2. *Eccleſia eſt conuocatus Populus per Miniſtros Eccleſiarum ab eo, qui facit vnanimes habitare in domo. Ipſa domus vocatur Eccleſia*. Sed de hoc ſatis.

IV. Quod Epiſcopi in locum Apoſtolorum, ac Presbyteri in locum Diſcipulorum ſucceſſerint, ſuadet primò S. Cypriani Auctoritas, qui Epiſt. 65. vocat Epiſcopos *Apoſtolos*: & in Epiſt. Firmiliani ad Cyprianum, legitur apertiſſimè Epiſcopos ordinatione vicariâ ſucceſſiſſe Apoſtolis. Idem ait D. Hieronymus in Epiſt. ad Euagrium, ac fusè Bellarminus de Rom. Pontif. Lib. 4. C. 25. vbi etiam agitur de Preſbyteris, qui LXXII. Diſcipulis ſucceſſere. Epiſcopos au-

autem, & Presbyteros, Chriſti Saluatoris exemplo, Panem oblatum, conſecratumque Populo ſacris adſtanti frangere, ac diſtribuere ſolitos fuiſſe teſtatur tertius Ordo Romanus, qui incipit: *Primum omnium*. Vbi hæc habentur: *Poſt hæc* (ſcilicet poſtquam Pontifex eos, qui erant in Senatorio communicauerat) *Epiſcopi communicant Populum annuente eis Primicerio &c.* Et paulò inferiùs: *Presbyteri autem annuente Primicerio communicant Populum, & ipſi viciſſim confirmant. Nam mox vt Pontifex cœperit in Senatorio communicare, ſtatim Schola incipit Antiphonam ad Communionem, & pſallunt vſquedum communicato omni Populo, annuat Pontifex, vt dicat* Gloriam: *Et tunc repetito verſu quieſcunt.* Quod in ſequentibus etiam Ordinibus legitur, vt videre eſt.

V. Fideles in Miſſæ ſacrificio Panem & Vinum offerre conſueuiſſe, teſtatus eſt S. Iuſtinus Martyr in Secunda Apologia, ſeu vt alij malunt, in prima ſub finem, vbi ſic ait: *A precibus finitis mutuis nos inuicem oſculis ſalutamus. Deinde ei qui Fratribus præeſt, offertur Panis, & poculum aquæ, & Vini, quibus ille acceptis, laudem, & gloriam rerum vniuerſarum Patri, per nomen Filij, & Spiritûs ſancti offert, & Eucharistiam, ſiue gratiarum actionem, pro eo quod nos donis ſuis hiſce dignatus ſit, prolixè exſequitur &c.* Nec non

S. Cy-

S. Cyprianus de *Operibus, & Eleemoſyna*, etſi de ſolo Pane loqui videatur, vbi in mulierem locupletem inuehitur, quæ ſine Oblatione Dominicâ diē ad Eccleſiam conueniret, ſic inquit: *Locuples, & diues es, & Dominicum te celebrare credis, quæ corbonam omninò non reſpicis? quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis? quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis?* Eadem eſt querela S. Auguſtini, ſiue Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi Serm. 215. ac in recenti impreſ. in append. Serm. 265. vbi ſic: *Oblationes, quæ in Altario conſecrentur, offerte; erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena Oblatione communicauerit.*

Quales autem fuerint hæ Oblationes, legitur in Ordine Romano, qui incipit: *Denunciatâ Statione.* Vbi ſic: *Deinde* (id eſt poſt Credo) *ſalutat Epiſcopus Populum dicens*: Dominus Vobiſcum. *Poſtea dicit*: Oremus. *Tunc canitur offertorium cum verſibus. Tunc venit Subdiaconus, ferens in brachio dextro patenam, & in ſiniſtro Calicem, in quo recipiuntur amulæ Populorum, & ſuper Calicem corporale, id eſt, ſindonem, quod accipiens Diaconus ponit ſuper Altare à dextris proiecto capite altero ad Diaconem ſecundum, vt expandant. Deinde tranſit ſacerdos ad ſuſcipiendas Oblationes. Interim Cantores cantant offertorium cum verſibus, & Populus dat Oblationes ſuas, ideſt Panem, & Vinum, & offerunt cum fanonibus candidis,*

pri-

primò Maſculi, deinde Fœminæ: nouiſſimè verò Sacerdotes, & Diaconi offerunt, ſed ſolùm Panem, & hoc ante altare. Subdiaconus verò cum Calice vacuo ſequitur Archidiaconum: & Pontifice Oblationes Populorum ſuſcipiente, Archidiaconus ſuſcipit poſt eum Amulas, & refundit in Calicem maiorem, tenente eum Subdiacono, quem ſequitur cum Scypho ſuper planetam Acolytus, in quem Calix impletus refunditur. Oblationes autem à Pontifice ſuſcipit Subdiaconus, & ponit in Sindonem, quæ eum ſequitur, quam tenent duo Acolyti. Fuſiùs quoque ritus in offertorio obſeruandus exprimitur in 4. Ordine, vbi ſic: *Poſt Euangelicam ergo Lectionem, reponitur Liber Euangeliorum in paratorio quodam, ſiue in Secretario: Sed Acolytus tenens Calicem in brachio ſiniſtro, porrigit Corporale ſuprapoſitum Diacono, vt ipſe deſuper Calicem accipiens, illud expandat ſuper altare, proiecto ad ſequentem Diaconum capite altero. Pontifex autem ſuſtentatus hinc inde dextrâ læuâque à Primicerio Notariorum, & Primicerio Defenſorum, deſcendit ad ſenatorium, quod eſt locus Principum, vt ſuſcipiat Oblationes eorum. Archidiaconus verò poſt eum amulas ſuſcipit, & in Calicem maiorem, quem Subdiaconus Regionarius ſequens portat, vacuum refundit: qui cum fuerit impletus, refunditur in Scyphum, quem ibi tenebit ſequens Acolytus.*

Oblationes verò Principum Subdiaconus Regionarius à Pontifice ſuſcipit, ac ſequenti Subdiacono porrigit, & ipſe in Sindonem, quam tenent duo Acolyti, eas ponit. Sed Epiſcopus Hebdomadarius ſuſcipit poſt Pontificem Oblationes reliquorum, quas ipſe manu ſuâ mittit in Sindonem, quæ ſequitur eum. Poſt quem Diaconus ſequens Amulas ſuſcipit, & in Scyphum manu ſuâ poſt Archidiaconum eas refundit. Similiter tranſiens Pontifex in partem Matronarum, explet omnia, vt ſuprà. Deinde redit ad ſedem tenentibus Primicerijs manus eius. Archidiaconus autem ſtans ante Altare, lauat manus ſuas expletâ ſuſceptione. Poſt hoc in faciem Pontificis reſpicit, & cum ei annuerit, reſalutato eo per humilem inclinationem, ad Altare accedit. Tunc accipiens per Subdiacones Oblatas hinc inde porrigentes eas, ponit tantas ſuper Altare, quantæ poſſint Populo ſufficere. Compoſito igitur Altari, & ornato, Archidiaconus deinde ſumit amulam Pontificis de Subdiacono Oblationario, & refundit in Calicem ſuper Colatorium, deinde Diaconorum, ac deinde Primiceriorum, & Secundiceriorum: Poſtea autem Subdiaconus ſequens deſcendit in ſcholam, & accipit fontem de manu Archiparaphoniſtæ, ac defert ad Archidiaconum, & ille infundit, faciens Crucem in Calicem. Aſcendentibus verò Diaconis ad Pontificem, Primicerius, & Secundicerius, Notarij,

rij, & defenſores Regionarij deſcendunt, & in loco ſuo conſiſtunt. Tunc Pontifex ſurgens à ſede deſcendit ad Altare, & ſalutat Altare, & ſuſcipit Oblatas de manu Presbyteri Hebdomadarij, & Diaconorum, atque Primiceriorum. Deinde Archidiaconus ſuſcipit Oblatas Pontificis de Oblationario, & dat Pontifici; quas dum poſuerit Pontifex in Altari, leuat Calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi Regionarij, & ponit eum ſuper Altare iuxtà Oblatam Pontificis à dextris, atque cum offertorio in Cornu Altaris poſito inuoluens per anſas Calicem, ſtat poſt Pontificem. Et Pontifex paululum inclinans ſe ad Altare, reſpicit ad ſcholam, & annuit vt debeant ſilere. Confirmat hæc Amalarius de Eccl. Off. lib. 3. Cap. 19. vbi: *Populus*, ait, *dat Oblationes ſuas, ideſt Panem & Vinum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Panis, quem offert, & Vinum, exprimunt omnia deſideria pia intrinſecùs latentia, ſiue ſint pro immolatione, ſiue pro hoſtia viua.* Notandum hic eſt, quod Cantores aquam tantummodò offerebant, cur autem aquam offerrent, rationem reddit Amalarius loco citato, vbi ſic: *Omnis Populus intrans Eccleſiam, debet ſacrificium Deo offerre: At Cantores, qui ſunt de genere Leuitarum propter inſtantem neceſſitatem cantandi, non habent licentiam huc illucque diſcurrendi, vt ſinguli offerant cum cæteris. Statutum eſt eis, vt penitùs non*

ſint extorres à ſacrificio, cuſtodire aquam, & hanc vnum offerre pro cæteris. Populus offert Vinum, Cantores Aquam. Sicut Vinum, & Aqua vnum fiunt in Calice, ſic Populus & Cantores in corpore Chriſti. Cantores more Leuitarum antiquorum, qui omnia neceſſaria Tabernaculi prouidebant, quærant aquam ad fontem, & ſeruent eam coopertam vſque ad tempus ſacrificij, & tunc mundam eam offerant.

VI. Fideles omnes curabant ex eodem ſacro Pane ab Epiſcopis conſecrato participare; noſtri Saluatoris exemplo, qui benedixit, ac fregit Panem, deditque Apoſtolis ſecum diſcumbentibus, ac Virgini Matri, alijſquè mulieribus cum illa ſeorſim adſtantibus, vt tradit Georgius Metropolita Nicomedienſis, qui tempore Heraclij Imperatoris floruit, nempe in principio ſeptimi ſæculi. Ille enim in ſuo ſermone VIII. ait: *Quia ergo filium videbat ad ſalutarem properantem paſſionem, ne ad breue quidem tempus ab eo diſiungi ferebat. Quamobrem cum vbique ſequeretur, nec cum celebrata ſunt Myſteria, defuit: non ita vt recubuerit cum duodecim, ſed vt eiuſdem cum eis tecti particeps fuerit. Ipſe quidem, quoniam feſtinabat Diſcipulis Myſteria tradere; ac altæ humilitatis exempla præbere, ſolos ſecum duodecim fecit recumbere; Matrem autem ſiuit habere curam Mulierum, quæ miniſtra-*

Digitized by Google

niſtrabant, ac eis praeeſſe, eiuſque operâ, ſuo eas Conuiuio viciſſim impertiuit. Notat hîc P. Combefis, quod ſanctæ Mulieres in illa eadem domo Paſcha cum Chriſto concelebrauerint, ac ipſe Euchariſtiam eis impertierit.

Hic ritus à Domino inſtitutus, ab eius Diſcipulis obſeruatus fuit, vt videtur innuere S. Paulus ad Corinth. Cap. 10. num. 17. *Quoniam vnus Panis, vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno Pane participamus.* Id etiam conijcitur ex S. Ignatio Martyre, Epiſcopo Antiocheno in eius Epiſtola, quam ſcripſit ad Epheſios. *Date* (inquit) *operam, vt crebriùs congregemini ad Euchariſtiam, & gloriam Dei.* Et mox: *Omnes nominatim congregemini vnâ, & communi fide, frangentes Panem Vnum, quod farmacum immortalitatis eſt.* Hæc profectò eſt Ignatij ſententia, iuxtà veterem ipſius Epiſtolæ editionem ab antiquis de Catholica Religione bene ſentientibus pro legitima quidem habitæ, ſed à Ioanne Dalleo, alijſque de rebus fidei malè ſcribentibus, pro interpolata, eiuſque loco altera ex celebri Medicæo librorum Cimelio deprompta eſt, ſubrogataque, ac in maxima Bibliotheca Patrum nouæ Lugdunenſis impreſſionis pro genuina etiam inſerta, quæ an hunc titulum mereatur, meum hîc indicare non eſt: Scio tamen, quod in præallegata Aucto-

ritate, quo ad ſenſum Epiſtolæ ſecum concordes ſunt, licèt ſolummodo in quibuſdam vocibus diſcrepent, vt videre eſt ex recentioris impreſſionis fragmento, quod hîc ſubijcimus: *Feſtinate igitur* (ait Sanctus Martyr) *crebriùs conuenire in gratiarum actionem Dei, & gloriam*. Deinde: *Communiter omnes in gratia ex nomine conuentûs in vna fide, & in Ieſu Chriſto vnum Panem frangentes, quod eſt pharmacum immortalitatis*. Quare nullo pacto infirmanda, & in dubium reuocanda videtur tam magni viri, ac Martyris auctoritas, & præcipuè cum etiam legatur in S. Iuſtino Martyre in ſupracitata ſecunda Apologia, & infra clarius demonſtrandum ſit, morem iſtum participandi ex eodem ſacro Pane, adeò in primis Eccleſiæ ſæculis viguiſſe, vt illis, qui ſacris adeſſe non poterant in ſignum mutuæ Communionis, ſiue teſſeræ mitteretur. Pulcherrimum huius rei nobis exemplum exhibet Euſebius Lib. 5. Cap. 24. Hiſt. Eccleſiaſt. Vbi in Epiſtola Policratis ad Victorem Romanæ Vrbis Epiſcopum, qui floruit anno 192. de diſſentione Eccleſiarum Aſiæ: *Verum*, (ait) *illi ipſi, qui te præceſſerunt Presbyteri, quamuis id minimè obſeruarent, Eccleſiarum Presbyteris, qui id obſeruabant, Euchariſtiam tranſmiſerunt*. Quam tranſmittendæ Euchariſtiæ conſuetudinem apprimè ſuadet, probatque locus eiuſdem S. Iuſti-

ni

ni Martyris, in eadem Apologia, vbi ſic: *Præſidens verò poſtquam gratiarum actionem perfecit, & Populus vniuerſus apprecatione lætâ eam comprobauit, qui apud nos vocantur* Diaconi, *atque* Miniſtri, *diſtribuunt vnicuique præſentium, vt participet eum, in quo gratiæ actæ ſunt, Panem, Vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos appellatur* Euchariſtia, *quod nulli alij participare licitum eſt*; & paulò inferiùs ſubiungit: *Et diſtributio, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ ſunt actæ, cuique præſenti: abſentibus autem per Diaconos mittitur.* Id quod in Actis S. Luciani Martyris ad diem 7. Ianuarij à Bollando relatis deſcribitur, nempe, quod ipſius Martyris Diſcipuli deſiderabant vltimam à magiſtro conſequi Myſterij diuini celebrationem, & cùm in carcerem menſa pro ſacrificio inferri non poſſet, & Diſcipulos ſuos ſolari volens, iuſſit ſuo pectori imponi ſigna diuini ſacrificij; poſtquam autem hæc feciſſent, in cœlum prorsùs ſuſtulit obtutum, & preces peregit conſuetas. Deinde cùm diuina plurima eſſet effatus, & ſacro ritu omnia peregiſſet propoſita, ipſe & fuit particeps Sacramentorum, & tranſmiſit ad eos, qui aberant.

Hanc veritatem agnoſcens Eminentiſſimus Bona in ſuo Rer. Liturgic. Libro I. in fine Cap. 23. ſic ait: *Tanta enim erat mutuæ vnionis, & ſocie-*

tatis

tatis inter Fideles religio, & zelus, vt ſi omnes de vno, & eodem Pane ab eodem Sacerdote conſecrato, participare potuiſſent, id libentiſſimè in toto Terrarum Orbe feciſſent, quo ſic oſtenderent ſe omnes in Chriſto vnum eſſe. Ideo non ſolùm Romanæ, ſicut ſupradiximus, ſed aliarum etiam quarumdam Eccleſiarum vſus fuit, vt ab Eccleſia primaria Ciuitatis ipſa Eucbariſtia ad ſingulas Parœcias ab Epiſcopo mitteretur, quatenus ſcirent omnes, qui ab vno Epiſcopo regebantur, ſe cum illo vnum corpus efficere. Quod totum bellè, plenèque confirmat ea quæ ſupra diximus, nempe Pontificem conſecratas Oblatas in tot partes diuidiſſe, quot erant Presbyteri Titulares, & ad eoſdem haſce particulas per Acolytos mittere conſueuiſſe, vt ijdem ex eodemmet Pane, quem ipſe conſecrauerat, in ſignum mutuæ vnionis, ſiue communionis participarent, quod ſignum vnionis, ſeu communionis cum Pontifice ad Fideles Presbytero Titulari ſubiectos quodammodo ſe extendebat, videlicet ſicuti Presbyter Titularis ob particulam ſibi à Pontifice miſſam cum eodem met Pontifice communicabat, ſeu eidem vniebatur; Ita etiam Fideles ex Pane à Presbytero conſecrato participantes, ibi cum Presbytero communicabant, ipſique vniebantur, ac per conſequens etiam Romano Pontifici, ob vulgatam regulam, quòd acceſſorium ſequi-

quitur naturam principalis. Quod poteſt etiam exemplo demonſtrari, nam cùm Epiſcopus celebrat, ac dicit: *Pax tecum* Aſſiſtenti, qui reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo*, ipſe deinde Aſſiſtens dat pacem Primatibus, poſtea Diacono, qui eam dat Subdiacono. Mox idem Aſſiſtens eandem dat vni ex Miniſtris, à quo ad reliquos omnes defertur, atque ita omnes ſi non immediatè, mediatè ſaltem ex eademmet Pace ab Ebiſcopo annunciata participant.

Præterea alio modo præfati Fideles Presbytero Titulari ſubiecti quodammodo miſſi à Romano Pontifice *Fermenti* participes erant. Presbyter enim poſtquam illud ab Acolyto acceperat, mittebat in Calicem quando pronunciabat: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. Poſtea ſecretè dicebat: *Hæc commixtio, & conſecratio Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen*. Mox ſumpto Corpore Dominico, quod à Pontifice miſſum acceperat, antequam Sanguine confirmaretur, parum ex eodem Sanguine in Calicem maiorem, ſiue Miniſterialem, qui Scyphus etiam in nonnullis Ritualibus appellatur, refundebat, in quo copia erat Vini non conſecrati pro confirmando Populo. Quare in quarto Ordine Hittorpij dicitur, quod *Vinum etiam non conſecratum, ſed ſanguini*

Domi-

Digitized by Google

Domini commixtum ſanctificatur per omnem modum. Quomodo autem intelligendus ſit locus iſte: *Sanctificatur per omnem modum*. Et quod Populus per hanc comixtionem Vini non conſecrati cum Vino conſecrato confirmaretur, ſequenti Capite VIII. demonſtrabimus. Propterea concludimus, quod cum Fideles ex eodem Vino guſtaſſent, in quo poſitæ fuerant illæ guttæ Vini conſecrati cum Pontificio *Fermento* commixti, quodammodo de ipſo *Fermento* participabant.

VII Nolumus partem aliquam intentatam relinquere. Diximus enim ſuprà ſingulas Oblatarum partes ſingulis Acolytis traditas fuiſſe, vt eas ad ſingulos Titulos deferrent. Colligitur id ex ſuprà citata Epiſtola Innocentij I. Vbi iſtæ partes denominantur *Fermentum*, quod per Acolytos Preſbyteris Eccleſiarum intra Ciuitatem conſtitutis mittebatur. Duplex autem hîc oritur dubium, primum an olim permiſſum eſſet Acolytis ſacratiſſimam Euchariſtiam deferre? Secundum an ipſa Euchariſtia in vaſe, aut in alia re deferretur? Primum fuſiùs infrà diſcutiemus. Quo verò ad ſecundum ſi legantur 1.3.& 4. Ordo ab Hittorpio relati, dicendum eſt Acolytos in Sacculis Euchariſtiam detuliſſe. In primo enim ſic legitur: Accedentes ſubdiaconi cum Acolytis, qui ſacculos portant à dextris, & à ſiniſtris, & extendentibus Acolytis brachia, cum

cum ſacculis ſtant à fronte, vt parent Sinus ſacculorum Archidiacono ad ponendas Oblationes, priùs à dextris, deinde à ſiniſtris. Tunc Acolyti vadunt dextrâ, læuâque poſt Epiſcopos circa Altare. Reliqui deſcendunt ad Presbyteros vt frangant Hoſtias patena præcedit iuxtà ſedem, deferentibus eam duobus Subdiaconibus ad Diaconos vt frangant. *In tertio verò*: Accedentes Subdiaconi ſequentes cum Acolytis, qui ſaccula portant à dextris, & à ſiniſtris Altaris, extendentibus Acolytis brachia cum ſacculis, Subdiaconi ſequentes ſtant à fronte, vt parent ſinus ſacculorum Archidiacono ad ponendas Oblationes, priùs à dextris, deinde à ſiniſtris. Tunc Acolyti vadunt dextrâ, læuâque per Epiſcopos circà Altare, reliqui deſcendunt ad Presbyteros, vt confringant hoſtias. Patena præcedit iuxta ſedem, deferentibus eam duobus Subdiaconibus Regionarijs ad Diaconos, vt frangant. Idem legitur in quarto Ordine ſuprà citato, & in Ordine San-gallenſi. Ex quibus clarè deducitur Acolytos detuliſſe ſacculos ad recipiendas Oblationes conſecratas, vt eædem confringerentur. Licèt hæc aſſertio veritati conſentanea ſit, veriſimile tamen eſt, particulam *Fermenti*, vtpote paruæ molis, decentiùs in aliquo vaſe, quàm in ſacculo ad Titulos delatam fuiſſe. An deinde huiuſmodi vaſa ex vitro, vel ex alia materia coſtarent, cer-

tum eſt ex Caſalio de Veter. Sacr. Chriſtianorum Ritibus Cap. 11. primis Eccleſiæ ſæculis ſacra Vaſa ex qualibet materia conſtitiſſe : vſitatiora tamen fuiſſe vitrea, tanquam puriora, & nitidiora, quod etiam arguitur ex decreto Zepherini de vaſis vitreis, vbi dicitur quod Miniſtri in Eccleſia portarent ante Sacerdotes patenas vitreas: confirmatur etiam ex multis rotundorum vitrorum fragmentis, quæ fuiſſe vaſa demonſtrat Seueranus Rom. Subterran. Lib. 4. Cap. 37. & 47. & Lib. 6. Cap. 50. eorumque varias figuras refert, quibus addi poſſunt alia nonnulla, quæ habentur in Cimelijs Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Chiſij, & Carpinei, quæque illinc à me tranſcripta, in tractatu *De ſacris, profaniſque Calicibus*, cum per ocium licebit, iuris publici faciam: ſanè vitreus adhuc integer, intactuſque conſeruatur in eodem Cimelio Eminentiſſimi Chiſij. Quod ſi velimus vlteriùs adducere antiqua exempla pro ſacris vaſis vitreis; pulcherimum eſt illud quod refert D. Hieronymus in Epiſtola 4. ad Ruſticum Monachum, de Sancto Exuperio Toloſæ Epiſcopo, ex quo deducitur vas pro ſanguine fuiſſe vitreum, pro corpore autem vimineum. Hieronymi verba hæc ſunt: *S. Exuperius Toloſæ Epiſcopus Viduæ Saraptenſis imitator, eſuriens paſcit alios, & ore pallente ieiunijs, fame torquetur alienâ, omnemque ſubſtantiam*

Chri-

Chriſti viſceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui Corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro. Hoc allatum exemplum confirmat Indiculus directus à Ioanne Epiſcopo, vel ab Epiphanio Presbytero de Theſſalonica, qui habetur in Conciliorum tomis poſt Epiſtolam 67. Hormiſdæ Papæ. In hoc enim Indiculo Theſſalonicenſium crimina narrantur, inter quæ ijſdem obijciebatur, quod *tanta Sacramenta confecerant, vt caniſtra plena omnibus erogarent, ne imminente* (ſicut dicebant) *perſequutione, communicare non poſſent.* His allatis exemplis addi poſſe videtur aliud, quod habetur in Lib. 1. Cap. 7. Dialogorum B. Gregorij Papæ de S. Donato Epiſcopo, & Martyre, qui inter cætera virtutis opera, fractum calicem orando reſtaurauit. Vſus autem Calicis vitrei quibuſdam in locis durauit vſque ad tempora Caroli Magni, vt docet Baronius in Martyrologio ad diem 7. Auguſti. Nec ſilentio prætereunda celebris ſententia S. Bonifacij Epiſcopi & Martyris à Valafrido Strabone de Reb. Eccleſ. Cap. 24. ac à Rodulfo Tungrenſi de Canon. obſeruantia Propoſitione 23. relata. Cùm interrogatus Bonifacius an liceret in vaſis ligneis Sacramenta conficere, reſpondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus vtebantur, nunc è contra lignei Sacerdotes aureis vtuntur Calicibus.* Nec ob-

obſtat hoc dictum aſſertioni noſtræ, quod vaſa eſſent vitrea, quoniam in graui naſcentis Eccleſiæ paupertate etiam ligneis Calicibus vſos priſcos Fideles, piè credendum eſt. At quia bibuli erant; & ſacro Sanguine imbuebantur, in vitreos à Zepherino Papa mutati fuêre. Vtramque ſententiam, de ſacculis, & vaſis vitreis, ac vimineis ideo retulimus, vt Lector eam, quæ ſibi potior viſa fuerit, amplectatur.

VIII. Ea autem, quæ ſuprà num. 8. aſſeruimus comprobanda: videlicet quod Presbyteri Titulares ante aduentum particulæ conſecratæ à Pontifice celebrare non poſſent, planè colligitur ex decreto Siricij Summi Pontificis, vt habetur in eius vita, ſub his verbis: *Hic conſtituit, vt nullus Preſbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur* Fermentum. Hoc verò cum Latino Latinio, quam plurium dubiorum materiam dederit, libet hic ea reponere, quæ ad ipſorum ſolutionem Cap. 23. ſupracitato. n. 4. & ſeqq. Cardinalis Bona congeſſit. Accipe igitur: *Sic expedita videri poterat controuerſia de* Fermento *ad Eccleſias olim miſſo: ſed emergunt alij nodi, quorum difficilis valdèque perplexa ſolutio eſt: Nec eos diſſimulauit in præcitata Epiſtola Latinius, ſed proponit his verbis*: An autem Titulares Preſbyte-

byteri eodem die Dominico Miſſas integras celebrarent, ideſt, an verà ipſi conſecrarent, & offerrent; & an vnà cum *Fermento* à Pontifice miſſo propriam quoque Oblationem peractâ conſecratione ſumerent; an tantùm alteram, & an ſoli ipſi, vel etiam Populus ex altera, vel vtrâque communicarent, vt in re valdè obſcura, nihil videtur temerè pronunciandum. *Hæc re verà obſcura ſunt, nam cùm ſupra dixerimus ſacrificium peractum ex Oblationibus Fidelium, quomodo hi Pontifices è Lateranenſi Patriarchio mitti Oblationes decreuerunt? & ſi Panis, quem mittebant, erat conſecratus; certum eſt quod ad Miſſam à Presbyteris Titulorum celebrandam non pertinebat. An igitur à Fidelibus ſolitas Oblationes accipiebant in Miſſa conſecrandas, ex quibus, & ex Pane conſecrato, quem Pontifex miſerat, tam Sacerdos, quàm aſtantes in ſignum mutuæ pacis, dilectionis, atque vnitatis communicabant? Hoc planè veriſimile, imò certum mihi videtur; nam Vinum miſiſſe Pontifices nuſquam apparet, Miſſæ autem ſacrificium ſine Panis, & Vini oblatione, & conſecratione agi non poterat; quare Fideles more tunc vſitato vtrumque offerebant, & ex ipſis muneribus ſacrum agebatur, ſine vllo reſpectu ad Panem miſſum è Lateranenſi Palatio, niſi quod illum cum Oblationibus recenter conſecratis communicaturis diſtributum putamus. Cohæret hic*

Ri-

Ritus cum alijs veteris Eccleſiæ conſuetudinibus. Mos enim fuit, vt qui eiuſdem fidei eſſent, ſibi mutuò mitterent Euchariſtiam, in ſignum communionis, ſicut teſtantur Euſebius Lib. 5. *Hiſt. Eccl. Cap.* 24. *Niceporus Lib.* 4. *Cap.* 39. *Et Ioannes Moſchus in* Prato ſpirituali. *Cap.* 29. *idque ſaluo iure celebrandi, quod ſacrum illud munus non auferebat. Ita pari ratione miſſa per Titulos Euchariſtia nullum præſtabat impedimentum, quin poſſent, & deberent eorum Presbyteri Synaxim agere. Quia verò ſacramenta procul deferre vetitum erat, abſentibus, & longè conſtitutis in Symbolum fraternæ Charitatis, Panis communis mitti ſolebat, cuius rei teſtes ſunt Auguſtinus Epiſt.* 34. *& Paulinus Epiſt.* 41. 45. 46. *quem morem diù permanſiſſe Flodoardus docet lib.* 4. *Hiſt. Rhemenſis Cap.* 3. *ſcribens Formoſum Papam Carolo Regi Francorum Panem miſiſſe pro pignore Pacis, & vnanimitatis. Sic imminuto Fidelium feruore, vſui frequentiſſimo, ac ferè quotidiano communionis ſucceſſit vſus Eulogiarum, de quibus infrà. Aliam veterem conſuetudinem deſcribit Alcuinus lib. de Diuin. Offic. Cap.* 37. *agens de Ordinatione Epiſcopi in Romana Eccleſia*: Pontifex ad communicandum porrigit ei formatam, atque Sacram Oblationem, quam accipiens communicat ſuper Altare. Cætera verò reſeruat ſibi ad communicandum vſque ad

dies

dies quadraginta. *Idem habetur in Ordine Romano, vbi eſt etiam exemplar* Formatæ, *quæ datur Epiſcopo nouiter conſecrato. Eiuſdem Panis conſecrati, quem acceptum ab Epiſcopo in die ſuæ ordinationis Presbyteri conſumere debent quadraginta diebus, quotidie ex eo particulam ſumentes. Hiſtoriam narrat Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus Epiſt. ad Finardum, myſticam eius ritus rationem reddens. Ex hac autem Fulberti Epiſtola manifeſtum eſt tunc Presbyteros per illos quadraginta dies quotidie celebraſſe, & tempore communionis Hoſtiæ particulam de manu Epiſcopi ſuſceptæ, & eam, quam ipſimet conſecrabant, comediſſe:* Sicut enim (ait ille) Multæ Eccleſiæ ſunt per vniuerſum orbem terrarum propter diuerſa loca, & tamen vna eſt Sancta Catholica Eccleſia, propter vnam fidem: ſic & multæ ſunt Oblatæ propter vota offerentium, vnus Panis eſt propter vnitatem Corporis Chriſti, nam Panis ab Epiſcopo conſecratus, & Panis à Presbytero ſanctificatus, in vnum, & idem Corpus transfunditur propter ſecretam vnius operantis potentiæ virtutem. *Hinc autem ſuſpicor ſumendam originem, & rationem duplicis Panis, qui ab Epiſcopo in die ordinationis ſuæ offertur. Olim enim vterque conſecrabatur, alter pro conſecrante, & alijs Miſſæ Aſſiſtentibus, alter pro prædicta quadraginta dierum Epiſcopi tunc promoti communione. Si ergo*

Pa-

Digitized by Google

Panis conſecratus, quem Pontifex Epiſcopis; Epiſcopus Presbyteris, in Miſſa ordinationis præbebat; vt ex eo ſingulis diebus particulam ad communicandum decerperent, nullatenus impediebat, quin quotidie ſacris operarentur, nemo certè abſurdum, aut à moribus Eccleſiæ, prout illa ferebant tempora, alienum extimabit, quod Presbyteri Romani acceptâ à Pontifice Euchariſtiâ, quæ Fermentum *diceba-tur, Miſſam nihilominus diebus Dominicis agerent, & alium Panem, oblatum de more, à Fidelibus, conſecrarent, atque ex vtroque ſe, & alios communicarent. Hæc mea opinio eſt, quam precor vt expendant viri docti, & periti, & ſi quid certiùs, magiſque conſentaneum repererint, libentiſſimè amplectar.*

Huius ergo celeberrimi Cardinalis ſententiæ libenter ſubſcribo, ſed quia Populus ex eademmet particula à Pontifice miſſa communicare non poterat, cum veriſimiliter ad integrum Populum communicandum ſatis non eſſet, ideo cenſeo Populum ex Pane à Presbytero conſecrato communicaſſe, qui Panis & ipſe ſanctificatus erat, ſiue vt hac voce vtar, *Fermentatus*, mixtione præfatæ particulæ Panis à Romano Pontifice conſecrati, & ad Titulares Presbyteros miſſi.

Vlteriùs ad hæc eadem magis confirmanda, ſuperiùs iam adducta Ordinis Romani loca huc referen-

da

da putamus, & primò circà Presbyteros nouiter conſecratos, de quibus ſic: *Tollit Pontifex Oblatas integras, & dat ſingulis nouitijs Presbyteris, inde communicent vſque dies octo*. Et paulò poſt: *Qui ibi ordinati ſunt Oblationes offerant ad manus Epiſcopi, & ab eo conſecratas accipiant*; inferiùs autem de Epiſcopis hæc habentur: *Cùm autem venerit ad communicandum Dominus Pontifex, porrigit ei Formatam, atque ſacratam Oblationem integram, ſuſcipienſque eam Epiſcopus, ipſe ex ea communicet ſuper Altare. Quod verò reſiduum fuerit, ſibi reſeruet denuò ad communicandum vnoquoque die, vſque quadraginta dies expletos*. Id ipſum quoque de Epiſcopo nouiter conſecrato traditur in quodam venerandæ antiquitatis volumine, collationes omnium Eccleſiaſticorum Ordinum continente, quod aſſeruatur in celebri Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Caſanate, de Literaria Republica optimè meriti, vbi & quidem in calce auratis literis legitur: *LANDOLPHI SVM*. Scilicet; *Landolphus eſt Dominus meus*, quem ex varijs coniecturis, quas hîc referre ſuperuacaneum, Landolphum fuiſſe cenſeo poſtremum Landolphi Senioris Capuæ Comitis filium, electum Capuanæ Eccleſiæ Epiſcopum, circa Annum Domini 851. vt ipſius Voluminis character indicat, varijs curioſiſque figuris interſeptus; & quidem poſt duo-

A a deci-

decimam figuram, vbi ſit mentio de conſecratione manuum Presbyterorum, infra ſcripta leguntur: *Lectio Apoſt.* Deinde: ℟. & Euang. *Omnes enim, qui conſecrantur eodem die, & offerunt, & communicant, & dantur ſingulis Presbyteris die eodem conſecrationis ſingulæ Oblatæ ſanctificatæ ab Epiſcopo, ex quibus per totam ſequentem hebdomadam oraria Presbyteri ſemper appenſa in collis ſuis deportent, excepto ſi iacuerint, aut ad ſeceſſum abierint.*

Ex hucuſque dictis, ſatis apertè deduci poſſe exiſtimo nouos Presbyteros per hebdomadam quotidie celebraſſe, & tempore communionis particulam Oblatæ de manu Epiſcopi ſuſceptæ, & eam, quam ipſimet conſecrabant, ſumpſiſſe; atque hoc idem de Oblata miſſa à Pontifice per Titulares Presbyteros factum, eidemque ptopterea *Fermenti* nomen impoſitum.

Cùm interdùm in eruditis colloquutionibus habitis cum Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Angelo de Nuce, ſermo inciderit in hanc vocem *Fermenti*, eiuſque ſignificatione, idem Illuſtriſſimus Præſul ſuam propalare ſententiam non dedignatus eſt, quam, ne in obliuionis tenebris deliteſcat, hîc annectere duco. Putat igitur *illi particulæ Eucharistici Panis, nomen* Fermenti *inditum fortaſſe fuiſſe ad eludendum curioſas interrogationes*

Pa-

Paganorum. Cùm enim miſſitatio Fermenti *frequens eſſet inter mulieres panificas, ſi Acolytus deferens Euchariſtiam requiſitus fuiſſet quid geſtaret, facilè expedire ſe potuiſſet, & eludere importunam interrogationem, dicendo ſe portare* Fermentum, *quod creditu facile erat ob frequentem illius miſſitationem vltrò citròque. Ideo facile fuiſſet eâ reſponſione effugere Infidelium vlteriorem inquiſitionem, & occultare Myſteria, ne impiorum ludibrio exponerentur. Quò ergo vulgatior erat vox* Fermenti, *eò tutiùs occultabat Myſterium, idcircò ab Acolyto conſultò vſurpabatur. Nihil igitur arcanum in hac* Fermenti *voce quærendum. Neque dici debet, quod Fideles participabant* Fermentum *miſſum ab Epiſcopo, ſed participaſſe dicendi ſunt de Pane conſecrato, qui nihil* Fermento *ſimile habebat, ſed tantùm vocabulum prudenter vſurpatum in illius miſſitatione ad eius occultationem arcani Sacramenti.*

CAPVT OCTAVVM.

De mixtione ſacrati Vini cum Vino non conſecrato, quid dicendum ſit?

ARDVAM ſanè prouinciam ingredior, antiquum ritum recenſens aliquot guttas ſacrati Vini, Vino non conſecrato infundendi, quo deinde Populus poſt communionem confirmabatur. Ritus hic legitur tam in primo quàm in tertio, & quarto Ordine Romano ſupra relatis, & ab Hittorpio editis, necnon in ſupra memorato antiquiſſimo Ordine Monaſterij S. Galli, & in alijs quibuſdam Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Primo autem quidquid in Ordinibus continetur, deinde Scriptorum dicta referemus, ex quibus dubij ſolutionem elicere pro viribus enitemur. in Primo igitur Ordine cuius initium *Denunciatâ Statione*. Hæc habentur: *Poſt ſolutas, vt in his partibus mos eſt, Pontificales benedictiones, cùm dixerit*: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *mittit in Calicem de ſancta Oblata* (notanda hîc eſt pri-

ma

ma Oblatæ immiſſio in Calicem) *ſed Archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori: Deinde cæteri per ordinem, & Populus, ſeparatim viri & Fœminæ. Tunc Pontifex rumpit Oblatam ex latere dextero, & particulam, quam rumpit, ſuper Altare relinquit,* (obſeruanda hîc eſt particula relicta ſuper Altare) *reliquas verò Oblationes ſuas ponit in patenam, quam tenet Diaconus, & redit ad ſedem.* Et paulò inferius: *Expletâ confractione Diaconus minor leuatam de Subdiacono patenam defert ad ſedem, vt communicet Pontifex. Qui dum communicauerit de ipſa Sancta, quam momorderat ponit inter manus Archidiaconi in Calicem* (animaduerte ſecundam particulam immiſſam in Calicem) *faciens crucem ter dicendo*: Fiat commixtio, & conſecratio Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, accipientibus nobis in vitam æternam. ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde venit Archidiaconus cum Calice ad cornu Altaris, & annunciat Stationem*, & refuſo parum in Calicem de Scypho *inter manus Acolythi, accedunt primùm Epiſcopi ad ſedem, vt communicent de manu Pontificis ſecundùm ordinem; ſed & Presbyteri omnes aſcendunt vt communicent, ad Altare. Epiſcopus autem primus accipit Calicem de manu Archidiaconi, & ſtat in cornu Altaris, vt confirmet ſequentes Ordines.*

Dein-

Deinde Archidiaconus accepto de manu illius Calice, refundit in ſcypho, *quem ſupra diximus, & tradit Calicem Subdiacono Regionario, qui tradit ei Pugillarem, cum quo confirmet Populum. Calicem autem Subdiaconus accipit ſequens, & dat Acolyto, & ille reuocat in Paratorium.*

Quos dum confirmauerit, ideſt, quos Papa communicat, deſcendit Pontifex à ſede, tenentibus ei manus qui eum duxerint, vt communicet eos, qui in Senatorio ſunt: Poſt quem Archidiaconus confirmat.

Poſtea Epiſcopi communicant Populum, innuente Pontifice, & poſt eos Diaconi confirmant. Preſbyteri autem iuſſu Pontificis communicant Populum, & ipſi viciſſim confirmant.

In tertio Ordine Romano incipiente: *Primùm omnium*. Sic legitur: *Finito verò Canone Subdiaconus Regionarius ſtat cum patena poſt Archidiaconem, quando dixerit*: Et ab omni perturbatione ſecuri: *vertit ſe Archidiaconus, & oſculatâ patenâ, dat eam tenendam Diacono ſecundo, cum dixerit*: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *mittit in Calicem de Sancta, ſed Archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori, deinde cæteris per ordinem, & Populis. Tunc Pontifex rumpit Oblatam ex latere dextero, & particulam quam ruperit, ſuper Altare relinquit.* Et paulò infra: *Expletâ confra-*

ctio-

ctione Diaconus minor leuatam de Subdiacono Patenam defert ad ſedem vt communicet Pontifex &c. Interpoſitiſque quibuſdam, quæ ſupra in primo Ordine deſcripta ſunt, ſequitur: *Deinde venit Archidiaconus cum Calice ad cornu Altaris, & annunciat Stationem*, mixto & refuſo parum de Calice in Scyphum. Quæ ſuperiùs dictis contraria ſunt, nempe: *Refuſum parum in Calicem de Scypho*. Præterea in quarto Ordine cuius initium eſt: *Primò omnium*, ſic traditur: *Cum dixerit*: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *mittit in Calicem de Sancta, ſubiungens hæc verba*: Fiat commixtio & conſecratio Corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, accipientibus nobis in vitam æternam. *Sed interim Archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori, qui & vltrà dabit iuxtà ſe ſtanti, ac deinde per ordinem cæteri, atque Populus oſculantur ſe inuicem in oſculo Chriſti. Tunc Pontifex rumpit Oblatam ex latere dextero, & de ipſa Sancta, quam ruperit particulam ſuper Altare relinquit; reliquas verò Oblationes ſuas in Patenam, quam tunc tenet Diaconus, ponit. Nam Archidiaconus leuat Calicem, & Subdiacono Regionario porrigit eum, vt teneat iuxta cornu Altaris dextrum. Et accedentes Subdiaconi ſequentes cum Acolytis, qui ſacculos ad hæc idoneos portant à dextris, & à ſiniſtris Altaris: Ipſi ergo Subdiaconi extendentibus*

Acoly-

Acolytis brachia, cum ſacculis ſequentes à fronte, parant ſinus ſacculorum Archidiacono ad ponendum Oblationes, prius à dextris, deinde à ſiniſtris. Tum vadunt Acolyti dextrâ læuâque poſt Epiſcopos, ſiue Presbyteros circum Altare, vt ipſi Sacerdotes incipiant hoſtias confringere, patenâ præcedente, quam duo Subdiaconi Regionarij deferunt ad Diaconos causâ confractionis, vt ipſi quoque frangant quando Pontifex annuerit eis. Sed Archidiaconus euacuato Altari Oblationibus, reſpicit in ſcholam, & annuit eis vt dicant: Agnus Dei, *& deinde vadit ad patenam, quam tenent duo Subdiaconi Regionarij, vt ipſe etiam frangat cum cæteris Diaconis, iuxta cornu Altaris. Expletâ confractione Diaconus minor, leuatâ de Subdiacono patenâ, defert eam ad Pontificem, vt communicet corpore Dominico. Sed ipſe Pontifex confirmatur ab Archidiacono in Calice ſancto.* De quo parum refundit Archidiaconus in maiorem Calicem, ſiue in Scyphum, quem tenet Acolytus, vt ex eodem ſacro vaſe confirmetur Populus: Quia Vinum etiam non conſecratum, ſed ſanguine Domini commixtum, ſanctificatur per omnem modum. *Accedunt primùm Epiſcopi ſecundùm ordinem de manu Pontificis communicare, & poſt eos accedunt Presbyteri omnes, vt communicent ad Altare. Cùm autem communicauerit Archidiaconus, Calicem in-*

terea

terea tenet primus Epiſcopus. Sicut enim in Romana Eccleſia ſummo Pontifici miniſtrant Epiſcopi, ſic in cæteris Eccleſijs debent Epiſcopis facere Presbyteri. Recepto Calice Archidiaconus confirmat omnes ſanguine Dominico, quos communicauerit Pontifex Corpore Dominico, hoc officio iuxtà Altare peracto, & pugillari cum quo confirmetur Populus per Subdiaconum Regionarium iam accepto, traditur Calix ab Archidiacono eidem Subdiacono perferendus Acolyto, vt reponatur in Paratorio. Deinde deſcendit Pontifex cum Primicerio Notariorum, & Primicerio Defenſorum, vt communicet Principes Populorum, & Matresfamilias eorum. Et ſicut Archidiaconus confirmat quos Pontifex communicat, ſic reliqui Diacones confirmant, quos Epiſcopi, ſiue Preſbyteri poſt Pontificem communicant.

Quidquid enim in Ordine S. Galli continetur; ſic ſe habet: *Deinde venit Archidiaconus cum Calice ad cornu Altaris, & adnunciat Stationem,* & refuſo parum de Calice in Scyphum, *inter manus Acolyti, accedunt primùm Epiſcopi ad ſedem, vt communicent de manu Pontificis ſecundùm Ordinem. Similiter & Presbyteri, vt communicent poſt eos. Epiſcopus autem primus accipit Calicem de manu Archidiaconi, & ſtat in cornu Altaris ſequentis ordinis, vſque ad Primicerium Defenſorum. Deinde Archidiaconus accepto de manibus illius Calice,*

refundit in Scyphum, quem ſupra diximus, & tradit Calicem Subdiacono Regionario, qui tradit ei Pugillarem, in quo confirmat Populum. Hinc colliges, quod poſtquam Pontifex in Calice ſancto ab Archidiacono confirmatus eſſet, Archidiaconus parum è ſanguine in eodem Calice exiſtente, maiorem in Calicem, ſiue Scyphum refundebat, quem tenebat Acolytus, vt ex eodem ſacro vaſe Populus confirmaretur. Quare maior iſte Calix Vinum non conſecratum continebat ad Populum confirmandum ſufficiens, quod conſecrabatur, ſiue ſanctificabatur per immixtionem, ſiue immiſſionem illius particulæ ſanguinis deſumptæ ex Calice ſancto, vbi erat etiam Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt iam dictum eſt. Quod autem totum Vinum hâc commixtione ſanctificaretur, teſtatur ipſe Ordo Romanus, his verbis: *Quia Vinum etiam non conſecratum, ſed ſanguini Domini commixtum, ſanctificatur per omnem modum.* Nec ego nouum quid hiſce meis obſeruationibus affero: nam ſupra memoratus Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Præſul Angelus de Nuce in ſuis eruditiſſimis ad Chronicum Caſinenſe Notis, idem iam obſeruauit. Sub num. enim 1818. ſic habet: *Liber cui Titulus* Exordium Ciſtercienſis Cœnobij, *Cap.* 53. *deſcribens Miſſæ ritus*: Quod ſi (*inquit*) plures fuerint, Diaconus, percepto ſanguine ibidem

dem ponat Calicem ſuper ſiniſtrò cornu Altaris. Diaconus autem teneat vtrâque manu in Calice fiſtulam, à Subdiacono præparatam, qui Subdiaconus percipiat ſanguinem cum fiſtula. *Et rurſus ibidem*: Dum autem fratres percipiunt ſanguinem, infundatur Vinum in Calicem à Diacono, cum opus fuerit; ſi quod autem reſiduum fuerit de ipſo ſanguine, bibat illud cum Calice (*non miniſterio fiſtulæ*) poſtquam fiſtulam reddiderit Subdiacono, quam fiſtulam, antequam reddat, in quantum poterit ab vtraque parte ſugendo à ſanguine Domini euacuet.

Alium quoque locum ſuper huiuſmodi commixtione exponam, qui eſt in 6. Ordine, vbi ad diem Paraſceues narratur, quod *Pontifex deſcendens ante altare inclinat ſe, & iterum eleuans dicit*: Oremus præceptis ſalutaribus noſtris &c. *Cum verò fuerit reſponſum* Amen. *Sumit de Sancta, & ponit in Calicem nihil dicens, niſi fortè aliquid ſecretè dicere voluerit*: Pax Domini *non dicit, quia non ſequuntur oſcula circumaſtantium. Sanctificatur autem Vinum non conſecratum per ſanctificatum Panem, & communicant omnes cum ſilentio, & ſic expleta ſunt vniuerſa*. Super hac poſtrema mixtione variæ difficultates inſurgunt, & præſertim ex varijs Amalarij lectionibus, quas refert Hittorpius in editione Romana pag. 704. & in Co-

lonienſi 595. Cùm autem mihi haud vmquam propoſuerim de Amalarij Auctoritate diſſerere, ideo Lector eundem conſulat; ſufficiat etiam hîc indicaſſe Ioannis Beleth Theologi Pariſienſis, & Guilielmi Durandi Mimatenſis Epiſcopi ſuper huiuſmodi mixtione iudicium: de quo infrà Cap. X. Redeamus modò ad mixtionem Vini ſacrati cum non conſecrato, quam benè animaduertit ſolidæ ac verè eminentis doctrinæ Dignitatiſque vir Cardinalis Perronius, qui in ſua reſponſione ad ſecundam magnæ Britanniæ Regis inſtantiam pag. mihi 965. Gallico idiomate ſic ait: *Car nous apprenons par l'ancien Ordre Romain, que ne pouuant pas diſtribuer la Communion à tout le Pauple, de ce, qui avoit eſté conſacré dans vn ſeul Calice, & ne pouuant pas auſſi, ny conſacrer en un autre vaiſſe au qu'en vn Calice, ny conſacrer pluſieurs Calices à la fois, ny faire pluſieurs conſécrations en vne meſme Synaxe, on avoit de grandes vrnes, on amphores pleines de Vin, dedans leſquelles on verſoit vne partie du Vin, qui avoit eſté conſacré au Calice, comme preſuppoſant, que ce peu de Vin conſacré ſe meſloit par toutes les parties de l'autre, & de ceſte mixtion, on donnoit la Communion au Pauple: mais en fin, & le peril de l'irreuerence, & la rareté des Communions, que cét vſage rendoit moins frequentes, & le degouſt de ceux, qui faiſoient difficul-*

ficulté, & principalement en temps de contagion, de boire apres les autres, ayant fait peu à peu abandonner ceſte conſtume, & contenter les Communiants de communier ſous l'eſpece ſeule du pain. Quæ Latinè ſic ſonant: *Quia nos docemur ex antiquo Ordine Romano, quòd cùm non poſſet ex conſecrato in vno ſolo Calice diſtribui Communio vniuerſo Populo, & cùm pariter non poſſet in alio conſecrari vaſe, quàm in Calice, neque ſimul multi poſſent conſecrari Calices, neque in eadem Synaxi multæ conſecrationes peragi, erant propterea magna appoſita vaſa, ſiue amphoræ plenæ Vino, in quibus immittebatur pars Vini conſecrati in Calice, veluti præſuponens, quod particula Vini conſecrati ſe commiſceret per omnes partes alterius non conſecrati, & ex hac commixtione Populo porrigebatur Communio: ſed tandem, & irreuerentiæ periculum, & Communionum raritas, quæ ex hoc vſu infrequentes reddebantur, & nonnullorum nauſea, præſertim contagionis tempore in ſucceſſiuo potu, hunc ritum obliterarunt, ac ad Communionem ſub ſola Panis ſpecie Fideles induxerunt.*

Id quoque aſſerit Eccleſiaſticæ Auctoritatis acerrimus vindex Cardinalis Bellarminus in ſuo Trac. de Sacram. Euchariſt. Lib. 4. Cap. 24. Vbi ſic: *Ordo Romanus, qui vt minimùm ante annos octingentos editus fuit, cùm ab Alcuino Caroli Magni*

præ-

Præceptore, qui Anno DCCC. florebat, citetur, apertiſſimè indicat in Romana Eccleſia publicum vſum fuiſſe vnius tantùm ſpeciei. Nam in Capite de ordine celebrandi Miſſam, ſignificat, in paruo Calice Sanguinem Domini conſecrari ſolitum: Deinde pro Communione Populi ex eo paruo Calice effundi modicum ſanguinis Domini in magnum Calicem Vino & aquâ plenum, atque ex eo magno Calice conſueuiſſe Populum bibere poſt corpus Domini ſumptum. Et quia Calix vnus, quantumuis magnus, non ſufficere poterat tantæ multitudini, veriſimile eſt (quamuis ibi id non legatur) ſæpius eumdem Calicem Vino fuiſſe repletum. Porrò calix ille magnus dicebatur Calix ſanguinis, quia conſecratus erat contactu ſanguinis Domini, non quòd reuerâ eſſet Corpus Domini. Non enim ex contactu illo mutari potuit Vinum in ſanguinem.

Eſt autem coniectura valdè magna, etiam in alijs Eccleſijs, vbi dicebatur Populus de Calice bibere, non alium morem fuiſſe, quàm Romæ. Nam intelligi planè non poteſt, quo pacto in Eccleſijs valdè numeroſis potuerit dari Communio toti Populo ex Calice veri ſanguinis Domini. Neque enim vnquam fuit vſus conſecrandi ſimul multos Calices, vt patet ex Epiſtola Gregorij III. ab Bonifacium Epiſcopum Moguntinum, vbi reprehendit quoſdam, qui contra morem Eccleſiæ plures Calices in Altari

ſimul

ſimul habebant. Neque fuit vſus vnquam conſecrandi Vinum in Altari in Calice aliquo vaſtiſſimo, qui tantum Vini caperet, quantum Populo vniuerſò ſufficiat. Debuit enim Calix non adeo magnus eſſe, vt poſſet à Sacerdote eleuari, & à Diacono huc, & illuc deferri. Neque inueniuntur vlli Calices tam magni, cùm tamen multi in multis Eccleſijs antiquiſſimi inueniantur; ergo neceſſe fuit, vt idem Calix ſæpiùs repleretur inter ipſam cœnæ actionem, vt modò facimus in diſtribuendo Vino ad ablutionem. Certum autem eſt non potuiſſe in eadem actione repeti ſæpiùs conſecrationem: Vinum igitur, non ſanguis Domini Populis dabatur.

Hanc quidem nos tanti purpurati ſententiam ſequimur, ſed aliquantulum Auctoritate ſupra memoratorum, Beleth. Cap. 99. *de duabus partibus Sacrameni*, ac Durandi *de Dinin. Offic.* Lib. 6. Cap. 65. num. 11. moderandam putamus. Dicimus igitur Vinum illud omninò ex eo contactu conſecratum non eſſe, ſed ſolùm ſanctificatum, vt in ijſdem Ritualibus exprimitur. Maxima enim inter *conſecratum*, & *ſanctificatum* differentia intercedit. *Conſecratum* id appellatur, quod in conſecratione (vt exprimi poteſt) tranſubſtantiatur. *Sanctificatum* verò, quod per verborum ſignificationem Sanctum efficitur, ſine aliquâ tranſubſtantiatione, vt aqua Luſtralis, quæ benedicta appellatur

latur. Rursùs *ſanctificatum* dicitur, quod à tactu rei ſanctificatæ magis efficitur reuerendum. *Si autem diceretur quod ſolo contactu Vinum vel Aqua conſecraretur, magna profectò deinde ſequeretur rerum perturbatio, & confuſio. Sic enim contingeret Calicem non poſſe lauari, indeque efficeretur, vt iam ſexcenti Panes vnius hoſtiæ contactu, ſine verbo poſſint conſecrari: & ſi vna aliqua gutta aquæ Luſtralis, ſeu benedictæ in ſtagnum, vel puteum, qui ex lacunis ſcaturit, infunderetur, aqua illa perpetuò benedicta maneret: atque eiuſmodi infinita alia incommoda ex ea re naſcerentur. Iam etiam prætereo ſi Dominici Corporis tactu Vinum conſecraretur, contra decretum fieri, quod probibet, ne hoc die conſecratio fiat.*

Cur autem iſte Ritus in deſuetudinem iam abierit, ijdem Eminentiſſimi Cardinales Perronius, & Bellarminus explicauerunt. Aiunt enim, quod licèt Vinum illud conſecratum non eſſet, erat tamen ſanctificatum, atque ideo ferè omnes promiſcuè eodem ablui deſiderabant, vnde in aliquibus ob ſucceſiuum potum, præſertim tempore contagionis, grauis nauſea generabatur; propterea ob irreuerentiæ metum, conſuetudinem hanc abolitam fuiſſe concludunt.

Itaque noſtram hanc diſſertationem abſoluamus, vti par eſt, & opportunum, aureâ illâ ſententiâ præ-

præfati Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini Angeli de Nuce in prædicto ſuo Chronico Caſinenſi ad num. 263. vbi hæc: *Obſeruandum primò Eccleſiam Catholicam, quæ ſemper, & in omnibus eſt Magiſtra, & Columna veritatis, diuersâ ratione proponere ſuis Fidelibus ea, quæ credere, ac ea, quæ agere debent. Nam dogmata quidem credenda proponit immutabiliter, & inuariabiliter, ſicut immutabile eſt credendorum obiectum, nempe prima veritas in eſſendo & infallibile eorum motiuum, nempe prima veritas in dicendo, ſeu Reuelatio. At verò in agibilibus, quæ mores reſpiciunt, & politicam gubernationem* (quibus addo quandoque etiam Eccleſiaſticos Ritus) *vti conſueuit Regula Lesbia, ſeu Prudentia, qua ſe accommodat rebus, & temporibus: vt quemadmodum variantur tempora, & mores, ita variat Ritus, conſuetudines, & vſus agendi, non enim omnia ſemper, & omnibus apta ſunt. Quare ſi immutabiliter in his quoque diſponeret, non operaretur prudenter.*

CAPVT NONVM.

Quid eſſet Fermentum, *quod dabatur Sabbato in Conſiſtorio Lateranenſi.*

QVÆSTIONEM hanc excitauit Clariſſimus vir Ioannes Frontonus Canonicus Regularis S. Genoueſæ Pariſienſis, quum edidit Kalendarium Romanum Pariſijs an. 1652. antiquitatem, vt ipſe exiſtimat, nongentorum annorum præſeferens. In ipſo enim ad Sabbatum ante Dominicam Palmarum habetur: *Sabbato datur* Fermentum *in Conſiſtorio Lateranenſi*. In Libro verò Sacramentorum D. Gregorij edito à Pamelio Tom. 2. pag. 105. & 244. ad eandem diem notatur: *Sabbatum vacat: Dominus Papa eleemoſynam dat*. In vita autem Ioannis Papæ III. creati anno 550. à Bibliothecario deſcriptâ, narratur, eundem Pontificem Cœmeteria Sanctorum Martyrum reſtauraſſe; conſtituiſſe etiam vt Oblationes, & amulæ, ſiue ampullæ, vel luminaria in eiſdem Cœmeterijs per omnes Dominicas de Lateranis miniſtrarentur.

Ad

Ad quæ Frontonus hæc notat: Sabbatum iſtud &c. *Vacat ab antiquo, vt videtur hîc, & in Antiphonario, & in Sacramentali Gregorij Pameliani: Apud Pamelium ſcribitur* : Dominus Papa Eleemoſynam dat. *Huius rei mentio in Lib. de Officijs apud Alcuinum Cap.* 13. *fin. Porrò quum cœpit hoc die fieri Officium, repetebatur Officium vnius dierum antecedentium, vt videre eſt in Ordine Romano. Quod fit omni die vacante, inquit Micrologus Cap.* 50. *Agit etiam de hac Eleemoſyna Amalarius lib.* 1. *Cap.* 9. *ſed nemo illorum quod pertinet ad hiſtoriam explicat: confugiunt ad pias expoſitiones.*

Itaque quum hic lego Fermentum, *in mentem occurrit id quod olim fiebat in Eccleſia Romana, cuius hoc eſſet adhuc veſtigium aliquod: De Melchiade, qui ſedit anno* 311. *legitur* : Hic fecit vt Oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur *Fermentum.*

De Siricio, qui ſedit anno 385. Hic conſtituit vt nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur *Fermentum. Hebdomada ſumitur eo ſenſu, quo perpetuò in hoc Kalendario pro die Dominico. Et Innocentius, qui ſedit anno* 402. *ſcribit ad Decentium*

Epiſt. 5. De *Fermento* verò, quod die Dominico per Titulos mittimus &c. *Et infrà.* Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda ſunt Sacramenta, nec nos per Cœmeteria diuerſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus &c. *Mos autem mittendi per Cœmeteria non diù perſeuerauit. Nam de Ioanne III. qui ſedit anno* 559. *legitur*: Hic conſtituit, vt Oblationes, & ampullæ (vel amulæ) vel luminaria in eiſdem Cœmeterijs per omnes Dominicas de Lateranis miniſtrarentur. *Et poſt aliquot annos non tantùm id factum diebus Dominicis, ſed ſingulis Martyrum natalibus. Nam in vita Gregorij III. qui ſedit anno* 731. *dicitur*: Iiſdemque inſtitutis depoſuit vt in Cœmeteria circumquaque poſita Romæ in die Natalitiorum eorum luminaria ad vigilias faciendas, & Oblationes de Patriarchio per Oblationarium deportarentur ad celebrandas Miſſas, per quem præuiderit Pontifex, qui pro tempore fuerit, Sacerdotem. *Hæc cum inter ſe confero, non poſſum adduci, vt credam hîc in Kalendario noſtro alludi ad hanc conſuetudinem, niſi dicamus, quod hâc die Presbyteri conueniebant in Patriarchium Lateranenſe, vt acciperent* Fermentum *ad dies ſolenniores ſequentis hebdomadæ. Sed exiſtimo non ſingulatim Presbyteros in Titulis ſacrificâſſe, ſed vnà cum ſummo Pontifice, & toto Populo in loco Stationis: aut*

ergo

ergo ad priuata tantùm ſacrificia dabatur Fermentum, *aut alio modo accipiendum quod hîc dicitur.*

Sed & oritur hîc difficultas non ſpernenda. R. P. Sirmondus in erudita ſua diſquiſitione de Azymo, recèns editâ, probat ex Cypriano, & ex Auctore antiquo apud Auguſtinum conſecratas fuiſſe Hoſtias ex Oblationibus Fidelium. Et hîc dicimus, & demonſtramus Romæ miſſas fuiſſe ab Eccleſia Lateranenſi per Titulos, & Cœmeteria diebus Dominicis, & feſtiuis Sanctorum. Numquid ergo alia conſuetudo Romæ, & alia in alijs Orbis partibus? Nam in Concilio Laodiceno Canone 14. *dicitur:* Περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα, εἰς ἑτέρας παροικίας διαπέμπεσθαι. Ne Sancta inſtar benedictionum in feſto Paſchæ in alias Parochias tranſmittantur. *Sedtamen prædictam conſuetudinem Romæ viguiſſe tempore Gregorij M. manifeſtè declarat quod Ioannes Diaconus narrat in vita prædicti Gregorij M. Lib.* 2. *Cap.* 41. *Hoc dubium propoſui optimo Sirmondo, qui hæſit ad illud, & dixit mihi hâc de re ſeriò eſſe cogitandum. Hoc ego doctis meditandum relinquo.*

Quod ſi quæ in hoc Sabbato dicuntur, intelligantur de Eleemoſyna Papæ, hæc in hunc locum ſunt adducenda. In vita Zachariæ, qui ſedit anno 742. *dicitur:* Hic beatiſſimus Papa ſtatuit crebris diebus alimentorum ſumptus: & quæ Eleemoſy-

moſyna vſque nunc appellatur de venerabili Patriarchio à Procancellarijs, Pauperibus, & Peregrinis, qui ad B. Petrum morantur deportari, eiſque erogari; necnon & omnibus inopibus, & infirmis per vniuerſas Regiones iſtius Romanæ vrbis conſtitutis, eandem ſimiliter diſtribui ipſam alimentorum conſtituit Eleemoſynam.

De Eleemoſyna, quæ fit omni die de Patriarchio Lateranenſi, vide Anaſtaſium in vita Hadriani Papæ. Et ibidem quaſi declararetur quod hìc in Kalendario ponitur, ſic ſcribit: At verò iam per euoluta viginti annorum ſpatia, forma, quæ vocatur Sabbatina, nimìs confracta exiſtens, per quam decurrebat aqua per Centenarium in Atrio Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli, ſimulque ei in Balneo iuxta eandem Eccleſiam ſito, vbi fratres noſtri Chriſti pauperes, qui ad accipiendam Eleemoſynam in Paſchalem feſtiuitatem annuè occurrere, & lauari ſolebant &c. *Hìc habemus Eleemoſynam, quæ tempore Paſchali fiebat, idque die Sabbati, à quo die prædicta forma Sabbatina dicta eſt; atque adeò non dubitandum videtur ad hanc annuam Eleemoſynam in noſtro Kalendario alludi. Sed contra hoc eſt quod in primis vocabatur hoc Eleemoſyna, vt vidimus in vita Zachariæ: Et Eleemoſyna Paſchalis fiebat ad Sanctum Petrum, vt videtur in vita Hadriani, & id agnoſcit Onuphrius in Libello de Stationi-*

tionibus: non in Laterano, vt hîc, nec cadit in ſenſum Eleemoſynam dici Fermentum, *præterquam quod dari Eleemoſynam non pertinet ad officia Eccleſiaſtica, vt huc eſſet accenſendum. Itaque nihil definio.*

Quoad vocem Conſiſtorij *ab antiquo in vſu eſt apud Eccleſiaſticos ſcriptores, Græcè* σύνεδρον. *Nam in Epiſtola Martiani Imperatoris ad Proclum Aſiæ Proconſulem* κόμητα τοῦ θείου ἡμῶν συνεδρίου *Vertunt Latinæ editiones*: Comitem ſacri noſtri Conſiſtorij.

Hæc Frontonus, qui primò putat *Fermentum* Eleemoſynam denotare, poſtea ab opinione ſua recedens, dicit ſe de hoc nihil definire. Vt autem exortum hoc dubium melius diſcutiam, ſeuerius quoddam examen inſtituendum eſt, breuitatiſque limites aliquantulùm prætereundi in conferendis inter ſe Rituum, Decretorumque Pontificum temporibus, nec non vexationum, calamitatumque, quas Ciuitas Romana perpeſſa eſt: Maximum enim ex eiſdem lumen exiliet, quo fortaſſe veritas quam quærimus, illuſtrabitur.

Melchiades anno 311. & Siricius an. 385. Innocentius I. anno 402. Romani Pontifices creati fuere, quando nimirùm Eccleſia tranquillè, & quaquauerſum placidè agebat. At Innocentius poſt ſeptem circitèr annorum ſpatium vexatæ vrbis turbinibus cœpit hinc inde agitari. Nam an-

no

no 409. Romana vrbs ab Alarico Gothorum Rege obſeſſa, famem & peſtem paſſa fuit. Sacrificia Gentilium repetita, ſupellectilia ad Alaricum delata, vt Ciuitas liberaretur. Demùm anno ſequenti 410. ab eodem capta, & direpta. Quare per iſta tempora veriſimile eſt miſſitationem *Fermenti* per Titulos deſijſſe. Verùm cùm Innocentius anno ſequenti 411. totum ornamentis Eccleſiarum reſtituendis, & priſtinæ dignitati reuocandæ ſe tradidiſſet, conijcere non immeritò poſſumus eandem *Fermenti* miſſitationem per Titulos, ſi iam ceſſauerat, reſtitutam fuiſſe, ſed breui ſublatam. Nam anno 419. Bonifacius fuit Pontifex electus, eodemque die ordinatus Eulalius, & ex hoc ortum Schiſma, quod per menſes ſeptem, & dies quindecim efferuuit. Bonifacius habitabat in Cœmeterio S. Felicitatis Martyris viâ Salariâ, & Eulalius in Ciuitate Antij ad S. Hermen. Adueniente autem proximo die Paſchæ, Eulalius in Baſilica Conſtantiniana, & Bonifacius in Baſilica S. Agnetis extra Vrbis moenia celebrauere; propterea hoc Schiſmate intercedente, miſſitationem iterum *Fermenti* ceſsâſſe, veriſimile eſt: quia Fideles, mutuâ communionis teſſerâ abruptâ, in partes ſeceſſerant. Schiſmate autem per Imperialem Auctoritatem ſedato, probabile eſt iſtam *Fermenti* miſſitationem fuiſſe iterum reſtitutam. At anno 455. Roma ſe-

cun-

cundò capta, dirempta, & incenſa fuit à Genſerico Vandalorum Rege, & poſt ſexdecim circitèr annos, nempe 471. denuò ſub Anthemio Imperatore à Ricomere capta, & ex aliqua parte dirempta. Iterumque ſub annum 476. ab Odoacre Rege Herulorum, & anno 490. à Theodorico Gothorum Rege capta, & poſſeſſa. Cùm igitur belli, diſſidiorumque tempore, vt plurimùm, fraterna charitas refrigeſcat; religio ac pietas exulent, innumeræque ſcelerum facies appareant, quà profanatis altaribus, quà dirutis Templis, & ſacrâ Eccleſiarum ſupellectili diſſipatâ, non abs re fuerit, in procelloſis huiuſmodi, frequentibuſque calamitatum turbinibus, quibus eâ tempeſtate Roma diuexabatur, conijcere miſſitationem *Fermenti*, quod ſignum fraternæ charitatis, ac quoddam vinculum religionis erat, ſæpe ſæpiùs in hoc quinto ſæculo ceſsâſſe.

Cùmque Romana ciuitas iterum ſub Gothorum Regum imperium redijſſet, & Romani Theodorico parerent, eodem tempore cathedram Beati Petri ſanctiſſimus Pontifex Gelaſius aſcendit, qui omni curâ, ſummâque ſollicitudine in mores, rituſque Eccleſiaſticos reformandos incubuit, adeò vt Romæ Concilium celebrauerit anno 494. in quo à LXX. Epiſcopis Libri ſacri, & authentici ab apochryphis diſcreti fuerunt, & Primatus

Romanæ Eccleſiæ aduerſus Conſtantinopolitanos Epiſcopos firmatus, ordoque, & prærogatiua inter Patriarchales Eccleſias præſcripta fuit. Inſuper idem Pontifex ſanciuit, vt bonorum Eccleſiaſticorum tam ex fructibus, quàm ex Oblationibus, quadripartita diuiſio fieret; Nempe prima pars Epiſcopo, ſecunda Clero, tertia pauperibus, quarta Eccleſiæ traderetur: Manichæi in Vrbe deprehenſi exilio damnati; Hymni ad ſimilitudinem, imitationemque S. Ambroſij, & Sacramentorum præfationes compoſitæ; turpeſque ludi Lupercales prohibiti, penitùſque ſublati. Quæ omnia, aliaque egregia opera abundè tanti Pontificis vigilantiam, præcipuamque curam teſtantur, qua ſemper Enitebatur, vt ager Eccleſiæ ſibi commiſſæ ab omnibus vepribus expurgaretur, cultuſque diuinus in dies creſceret. Quare ſi ob bellorum tumultus, militum incurſiones, & frequentem Vrbis diremptionem *Fermenti* miſſitatio forſitan obſoleuerat, cenſuit vt priſtino ritui reſtitueretur, hoc vnicè immutato, prout illorum temporum viciſſitudines exigebant, nempè, vt quod retroactis annis omni Dominicâ die per Titulos mitti conſueuerat, dilatum eſſet ad quaſdam tantummodò ſolenniores anni feſtiuitates, ad Cœnam ſcilicet Domini, ad Sabbatum Sanctum, ad diem Paſchæ, & Pentecoſtes, necnon ad Natiuitatem Domini, vt colligi-

ligitur ex quadam Gloſſa MS. ad Epiſtolam Innocentij ad Decentium Epiſcopum de *Fermento*, quam referunt CC. VV. DD. Ioannes Mabillon, ſepè laudatus, & Michaël Germain è Congregatione S. Mauri, ſpectatæ probitatis & doctrinæ viri. Hi enim Tom. 4. Veter. Analec. & in Itinere Germanico pag. 60. & ſequentibus, Codices quoſdam deſcribunt extantes in Bibliotheca ad S. Emmeriammum, ac inter hos vnum, in quo Canones Apoſtolorum, & Decretales Pontificum, & præcipuè præfatæ Epiſtolæ Innocentij I. ad quam ſic notatur. *De* Fermento, *quod dicit, mos eſt Romanis, vt de Miſſa quæ cantatur in cœna Domini; & in Sabbato Sancto, & in die Sancto Paſchæ, & in Pentecoſten, & in Natali Domini die ſancto per totum annum ſeruatur, & vbicumquæ per Stationes, ſi ipſe Papa ad Miſſam præſens non fuerit, de ipſa miſſa mittitur in Calicem quum dicit:* Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *& hoc dicitur* Fermentum. *Tamen Sabbato Sancto Paſchæ nullus Presbyter per Eccleſias Baptiſmales neminem communicat* (ſiue potiùs communicet) *antequam mittatur ei de ipſa Sancta, quam obtulit Dominus Papa.* Ex quibus deduco nonnullos fuiſſe Presbyteros Titulares moræ impatientes, qui contra antiquam, ac laudabilem conſuetudinem non expectato *Fermento* Apoſtolico celebrabant, quare eiſdem indi-

ctum fuit, vt ſi in alijs feſtiuitatibus nollent, ſaltem die Sabbati Sancti particulam eiuſdem *Fermenti* à Romano Pontifice mittendam expectare deberent.

Progreſſu verò temporis Eccleſiaſticâ Hierarchiâ creſcente, etiam Ritus aliqua ex parte immutatos fuiſſe non eſt ambigendum, vnde Presbyteri Titulares in quibuſdam ſolennioribus anni feſtiuitatibus in Palatio Lateranenſi conueniebant, vt ſacris functionibus per Romanum Pontificem celebrandis adſtarent, adſtanteſque, *Fermentum*, abſque eo quod longiùs, vt antea, mitteretur, perciperent. Et hoc ſemel in anno, Sabbato ſcilicet ante Dominicam Palmarum, non verò in Sabbato Sancto, cùm Sabbati Sancti dies diuerſis alijs Eccleſiaſticis functionibus impediretur, vt colligi poteſt ex ſexto Ordine Romano ab Hittorpio edito; adeoque Ritus iſte circa diſtributionem *Fermenti* fuit anticipatus, ac vacuæ diei præfixus. Quare Pamelianum Ordinem, in quo legitur: *Sabbatum ante Dominicam Palmarum vacat*, dicamus neceſſe eſt exaratum fuiſſe antequam *Fermenti* eâ die diſtribuendi conſuetudo introduceretur.

Quod verò Presbyteri congregari in Eccleſia Lateranenſi ſolerent, deducitur ex ſuprà citato ſexto Ordine ad diem Cœnæ Domini, in qua eadem in Eccleſia ſacrum Chriſma conficiebatur, fit etiam

in

in eodem Ordine mentio Concilij, quod nihil aliud ſonat, quàm congregationem, conuentum, ſiue conſiſtorium; Item quod in eodem Concilio intereſſent Presbyteri Titulares clariſſimè apparet ex ipſo Ordine, vbi narratur, quod poſt veſperas Paſchatis omnes bibebant, deinde Presbyteri, & Acolyti per ſingulos Titulos redibant ad faciendas veſperas, vnde in vno, ac eodem die Presbyteri Titulares bis veſperas canebant; ſemel in Laterano, atque iterum in proprijs Eccleſijs. Diximus ſuprà ob bellorum tumultus, ac ſchiſma in V. Sæculo aliquando *Fermenti* miſſitationem veriſimiliter ceſsâſſe; hîc etiam non incongruum erit eadem in VI. Sæculo demonſtrare, nam anno 498. eodem die, quo Symmachus Papa creatus fuit, Cathedram B. Petri Laurentius inuaſit; Vnde ortum eſt Schiſma, alijs è Clero cum Symmacho communicantibus, alijs cum Laurentio, vt narrat Bibliothecarius. Itèm anno 530. aliud Schiſma in creatione Bonifacij II. & anno 536. in electione Silverij, quo tempore Romana ciuitas à Belliſario è Gothorum manibus erepta fuit. Sequentibus verò annis 537. & 538. à Vittige eorundem Gothorum Rege obſeſſa, ſed fruſtrà. Demùm à Totila itidem Gothorum Rege anno 545. obſidione, ac fame preſſa, captaque, eiuſque Ciues ſequenti anno 546. eiecti, quo anno Belliſarius cùm

eam

eam vacuam reperiſſet, reſtaurauit, refecitque proſtratos alicubi muros, qui hodie adhuc extant, & ab alijs antiquioribus facillimè diſtingui poſſunt, vt in noſtro opere. *De Veteribus Monumentis &c.* oſtendemus. Sed iterum à Totila Anno 549. obſeſſa fuit, & capta. Et anno 552. à Narſete recuperata, ac reparata. Hiſce igitur Vrbis populationibus, ac ruinis, Ciuium, cæterorumque incolarum, atque ipſius ſummi Pontificis abſentiâ, mittendi *Fermenti* ritum per ea tempora omninò ceſsâſſe, cui dubium videatur.

Hæc eſt noſtra opinio de miſſitatione *Fermenti*, & interdum de illius ceſſatione, quam opinionem cùm ſæpè laudato viro Thomaſio exponerem, eam approbare renuit, immò ſuam expoſuit, quam hîc referendam duco, vt Lector eligat, quam veriſimiliorem eſſe exiſtimet.

Thomaſij de Fermento, *quod dabatur Sabbato ante Palmas in Conſiſtorio Lateranenſi, opinio.*

CVm de Paſchali *Fermento*, quod Sabbato ante Palmas dabatur olim in Conſiſtorio Lateranenſi, haud ſemel tecum diſſeruerim, Illuſtriſſime Domine; nunc quoque ſcripto meam ea de re opinionem tradere non detrecto. Puto

to itaque *Fermentum* præfatum eiuſdem extitiſſe generis, ac *Fermenta* cætera, quæ in vſu olim erant in Eccleſia Romana: quare illud Sacramentum fuiſſe Dominici Corporis non dubito, ſicut & illud erat *Fermentum*, quod Romanis Presbyteris per ſingulos Dominicos dies mittebatur à Pontifice. Porrò hoc Paſchale *Fermentum* non dicitur *miſſum*, ſed *datum*, quia illud Romanus Pontifex non mittebat per ſuos Acolytos, ſed ſolùm dabat Acolytis, non ſuis, ſed aliorum Epiſcoporum. Vt enim Presbyteri Titulorum in Vrbe, ne viderentur extorres à Summi Pontificis communione, *Fermentum* accipiebant ſingulis diebus Dominicis, de quo in propria Miſſa participarent; ita Epiſcopi Suburbicarij, qui immediatè Romano Pontifici ſubiecti erant tamquam proprio Metropolitano & peculiari quadam ratione, vt in celeberrimo ſaltem totius anni die, Paſchatis ſcilicet, communicarent Pontifici, ab eo *Fermentum* accipiebant per Acolytos ſuos, ob eam cauſam miſſos. Cùm autem Romano Pontifici vti Metropolitano, parerent Latium, Tuſcia, Campania, Vmbria, Valeria, Picenum Annonarium, & Suburbicarium, Samnium, Apulia, Lucania, Calabria, Brutium, Sicilia, & Corſica, quarum pleræque longo ſunt tractu ab Vrbe diſſitæ, idcircò dicendum videtur ex his Prouincijs eos dumtaxat

xat Epiſcopos accepiſſe Paſchale *Fermentum*, qui Vrbi propinquiores erant, quique illud intra octo à confectione dies habere poterant. Nam præterquam quod longinquis partibus ob viarum diſcrimina *Fermentum* deferri tutum non erat, ſpecies ipſæ Euchariſticæ diuturniore morâ facile corrumpi potuiſſent. Qua de cauſa antiquitùs ſancitum eſt, vt Euchariſtia ad infirmorum communionem reſeruata, octauo quoque die renouaretur.

Hanc meam coniectationem aliquot videntur argumenta conuellere, quæ tamen (ni fallor) facilè diſſoluentur.

Primò igitur dici poteſt quòd redditâ Eccleſiæ pace deſierit mos deferendæ Euchariſtiæ in remotas Regiones. Verùm vt frequentiorem admitto feruente perſequutione eiuſmodi vſum deferendæ Euchariſtiæ, ita pacatâ etiam Eccleſiâ eundem morem omninò exoluiſſe non credo. Approbat id delatio SS. Euchariſtiæ à nauigantibus, & iter agentibus, eiuſdemque conſeruatio, ſiue domi, ſiue in deſerto veterum Eremitarum. Proſtant exempla apud Cardinalem Baronium, & apud Cardinalem Bonam *de rebus Liturgicis*. Quare quod hinc deſumitur argumentum non inuicti roboris eſt.

Secundò opponi poteſt dictum illud Innocentij I. quum agit de *Fermento*, nimirùm: *Sacramenta non*

ſunt

ſunt longiùs portanda. Huic aſſertioni facilè opponi poſſet contrarius vſus ipſi Innocentio coæuus, deferendæ ſcilicet Euchariſtiæ à nauigantibus &c. vt ſuprà. Sed quia reponi item poſſet id extra morem fuiſſe Eccleſiæ Romanæ, de quo loquitur Innocentius: idcircò hæc mihi videtur vera reſponſio, quod Sacramenta non eſſent lougiùs portanda, ex conſuetudine, videlicet, ac indiſcriminatim per totum annum; fieri enim vix id poſſet ſine periculo. Cæterùm extrà ordinem & raró Sacramenta longiùs portari ſolita, etiam in ipſa Eccleſia Romana certiſſimum eſt. Epiſcopus enim nouiter ordinatus à Rom. Pontifice, recipiebat ab eo Oblatam conſecratam, vndę per 40. dies communicaret. Hanc autem Oblatam vtique longiùs portari opus erat ab Epiſcopis, præſertim Prouinciarum Calabriæ, Brutij, & Siciliæ, qui commodè intra 40. dies redire poterant ad ſuas Eccleſias: gratis enim diceretur per ipſos 40. dies Romæ ſubſtitiſſe.

Tertiò obijci poteſt, quod expreſsè prohibeatur Canone 14. Concilij Laodiceni tranſmitti in Paſchate Euchariſtiam inſtar Eulogiarum. Verùm ſi hic *Fermenti* tranſmittendi mos in Paſchate ab antiquiſſimis temporibus extitit, dici poſſet morem illum diù ante fuiſſe, quàm Concilij Laodiceni Canones Eccleſia Romana reciperet. Videntur enim ante Dionyſij Exigui Synodorum collectionem,

 Soli-

ſoli Generalium Conciliorum Canones in ea auctoritatem habuiſſe. Quidquid ſit, Canon Concilij Laodiceni generatim loquitur, & reſtringi facilè poteſt ad ſolos Laïcos, vel Clericos minoris gradûs, vt nihil præterea interdicat Epiſcopis præſertim Metropolitanis. Romani autem Pontifices eatenus admiſerunt Canones veterum illorum Conciliorum Prouincialium, quæ Dionyſius collegit, vt non diſcederent ab antiquis moribus Eccleſiæ Romanæ; vt cuique ſingulos eorundem Canones expendenti patet.

Quartò tandem, quòd nulla ſuperſint veſtigia diſtribuendi Paſchalis *Fermenti* Epiſcopis Suburbicarijs. Fateor, ſed in re obſcuriſſima coniectari ex indicijs opus eſt. Nam quòd *Fermentum* hoc Paſchale alterius fuerit generis, ac *Fermentum* hebdomadarium Romanorum Titulorum, nullo modo probare poſsum. Sic enim voces omnes Eccleſiaſtici ritûs confunderentur, ſi aliud aliàs ſignificarent. Quare quum mentio fit *Fermenti*, niſi quid aliud clariſſimè addatur, Sacramentum ſignificatur Corporis Chriſti, datum in communionis ſymbolum. Porrò cum eâ tempeſtate, qua ſcripti ſunt Codices illi antiquiſſimi, qui *Fermentum* dari dicunt in Conſiſtorio Lateranenſi, adhuc vigeret vſus hebdomadarij *Fermenti*, quod die Dominico mittebatur Romanis Presbyteris; non video qua de

cauſa

cauſa non mitteretur ipſis more ſolito etiam in maiore hebdomada *Fermentum*, maximè cùm Romanus Pontifex in Baſilica Lateranenſi Miſſarum ſolennia celebraturus eſset proximâ Dominicâ Palmarum in publica Statione. Quare eodem die Dominico non mittebatur? Ergo recurrendum eſt ad longinquiores Regiones, & ad ſolenne, quod inſtabat Paſchale feſtum; vt ſcilicet Epiſcopi Romano Pontifici non communicaturi, coram communicare poſſent in die Sancto Paſchatis per Sacramenta ab eodem accepta. Hæc Thomaſius.

Audiſti tam eruditam huius doctiſſimi viri, quàm meam opinionem, quare cùm ſint meræ coniecturæ, poteris illam ſeligere, quæ tibi propior veritati videbitur. Agitur enim de re obſcuriſſima: ideo hoſce noſtros labores qualeſcumque ſint, potiùs grato animo, quàm liuidis oculis ſuſcipias rogo.

Ex ſuprà allatis rationibus ſatisfactum eſſe crediderim quæſtioni, quid eſſet *Fermentum* quod dabatur Sabbato ante Dominicam Palmarum in Conſiſtorio Lateranenſi; ad alterius dubij (nempe ad id: *Sabbatum vacat, Dominus Papa eleemoſynam dat*) ſolutionem accedo.

Ioannes Pontifex iſtius nominis III. anno 559. cùm doleret per has tam crebras, ſacrilegaſque inuaſiones Cœmeteria Sanctorum Martyrum deuaſtata, ſuiſque priuata redditibus, & diuinum in eis

cultum reſtituere vellet, conſtituit vt Oblationes, & Amulæ, vel luminaria. in eiſdem Cœmeterijs per omnes Dominicas de Lateranis miniſtrarentur. Eiuſmodi quoque de cauſis ſuperuenientibus, Gregorius III. Anno 731. diſpoſuit, *vt in Cœmeteria circumquaque poſita Romæ, in die Natalitiorum eorum luminaria ad vigilias faciendas, & Oblationes de Patriarchio per Oblationarium deportarentur ad celebrandas Miſſas, per quem prouiderit Pontifex, qui pro tempore fuerit, Sacerdotem*. Eadem acerba tempora feriunt illud, quod legitur in Libro Sacramentorum D. Gregorij, ac in quinto Ordine Romano, nempe, *Sabbatum (* videlicet ante Dominicam Palmarum*) vacat, Dominus Papa eleemoſynam dat*. Cum Populus ad extrema calamitatum ob continua bella redactus eſſet, Pontifices tanquam pij patres filios miſerati, decreuerunt vt appropinquante ſanctiſſimo Paſchate, ſicuti Fideles à peccatorum laqueis liberabantur, ita à miſerijs largiori liberaliorique, quàm per aliquot alios anni dies mos erat, eleemoſynâ aliquâ parte ſubleuarentur. Tum etiam quia tunc temporis maxima exterorum copia ad Vrbem ad ſacra loca inuiſenda accedebat. Quod verò alijs quoque nonnullis anni diebus, quamuis non ita pingues, vt in Sabbato Sancto, mos eſſet in pauperes à Pontificibus eleemoſynas erogari, deducitur ex vita Zachariæ Pontificis

tificis anno 742. in qua dicitur ſtatuiſſe *crebris diebus alimentorum ſumptus : Et quæ eleemoſynæ vſque nunc appellatur de venerabili Patriarchio à Procancellario pauperibus & Peregrinis , qui ad B. Petrum morantur, deportari, eiſque erogari. Nec non & omnibus inopibus & infirmis per vniuerſas Regiones iſtius Romanæ Vrbis conſtitutis*. Eandem ſimiliter diſtribui conſtituit eleemoſynam. Hæc autem quæ hucuſque retuli, vel ex Sigonio de Regno Italiæ, vel ex Bibliothecario, aut ex Frontono, deſumpta ſunt, quæ eruditis, vt idem Frontonus ait, examinanda relinquo.

CAPVT DECIMVM.

Sententia Amalarÿ Fortunati Metenſis Eccleſiæ Diaconi, de antiquo ritu immiſſionis duarum particularum ſacrati Panis in Calicem.

DIXIMVS, licèt obiter, è Romanis Ordinibus, duas in Calicem conſecratæ Oblationis particulas olim immitti conſuetum fuiſſe: quapropter cùm id noſtrorum temporum ritui plurimum aduerſari videatur, non abs re fuerit antiquiſſimi Epiſcopi Treuirenſis de ſimili ritu iudicium referre. Sed priùs breuiſſimè

mè

Digitized by Google

mè inquirendum, quiſnam iſte Epiſcopus fuerit, vt magna ipſius in Eccleſiaſticis ritibus doctrina appareat. Variè eidem Scriptori nomen tribuitur, nam aliqui Amelarium, alij Amularium, quidam verò Amalharium, nonnulli Hamularium, nec deſunt qui Fortunatum, frequentiùs tamen Amalarium appellant: fuit à puero diuinorum Officiorum pijſſimus cultor, ac perſcrutator diligentiſſimus, nec non Albini Caroli Magni præceptoris diſcipulus, Romam miſſus à pijſſimo Imperatore Ludouico, ſedente Gregorio IV. Anno 831. Hic igitur Amalarius in libellis, quos exarauit de Eccleſiaſt. Offic. lib. 3. Cap. 31. cuius inſcriptio eſt: *De immiſſione Panis in Vinum*, ſuum de huiuſmodi ritu iudicium profert his verbis: *Immiſſionem Panis in Vinum cerno apud quoſdam variè actitari, ita vt aliqui primò mittant de Sancta in Calicem, & poſteà dicant:* Pax Domini. *E contra aliqui reſeruent immiſſionem, vſque dum pax celebrata ſit, & fractio Panis. Ac ideò ſtudet paruitas mea, vt verba Libelli Romani de eadem reponam, & quod à Domino impetrare potero, vt opinor, in indagine memoratæ rei promam. Dicit Libellus memoratus:* Cum dixerit: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, mittit in Calicem de Sancta. *Vt reor, non fruſtrà. Corporalis vita ex ſanguine conſtat & carne. Quandiù hæc duo vigent in homine, ſpiritus adeſt. In iſto Officio*

mon-

monſtratur ſanguinem fuſum pro noſtra anima, & carnem mortuam pro noſtro corpore, redire ad propriam ſubſtantiam, atque ſpiritu viuificante vegetari hominem nouum, vt vltrà non moriatur qui pro nobis mortuus fuit, & reſurrexit. Crux quæ formatur ſuper Calicem particulâ Oblatæ, ipſum nobis corpus ante oculos præſcribit, quod pro nobis crucifixum eſt. Ideo tangit quatuor latera Calicis, quia per illud, hominum genus quatuor climatum, ad vnitatem corporis vnius acceſſit, & ad pacem Catholicæ Eccleſiæ. Talia verba Sacerdos hoc agendo profert: Fiat commixtio Corporis, & Sanguinis Domini accipientibus nobis in vitam æternam. *Quæ verba precantur vt fiat corpus Domini præſens Oblatio per reſurrectionem, per quam veneranda & æterna pax data eſt, non ſolùm in terra, ſed etiam in cœlo. Tunc ceſſauerunt murmurare operarij vineæ horæ primæ, tertiæ, & ſextæ: tunc data eſt pax, quam promiſerunt Angeli in ſanctiſſima nocte, dicentes:* Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Eandem Sacerdos nunc ad memoriam reuocat, dicens:* Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. *Eandem Populus inſequitur per baſia blanda. Aeſtimo ſecundùm hunc ſenſum, quod non erret, ſi quis primò Sancta ponat in Calicem, & dein dixerit:* Pax domini ſit ſemper vobiſcum, *ſaluo magiſterio Didaſcalorum. Sequitur in Libello memorato:*

Sed

Sed Archidiaconus pacem dat Epiſcopo prior, deinde cæteri per ordinem, & Populus: tunc Pontifex rumpit Oblatam ex latere dextero, & particulam quam rumpit, ſuper Altare relinquit: reliquas verò oblationes ponit in patenam, quam tenet Diaconus. *Et poſt pauca*: Tunc Acolyti vadunt dexterâ, læuâque per Epiſcopos circà Altare: reliqui deſcendunt ad Presbyteros, vt frangant hoſtias. Patena præcedit iuxta ſedem, ferentibus eam duobus Subdiaconibus Regionarijs ad Diaconos, vt frangant. *Et iterum poſt aliqua*: Expletâ confractione Diaconus minor leuatâ de Subdiacono patenâ, fert ad ſedem, vt communicet Pontifex; qui dum communicauerit, de ipſa, quam momorderat ponit inter manus Archidiaconi in Calicem. *Si hoc ita agitur in Romana Eccleſia, ab illis poteſt addiſci quid ſignificet bis poſitus panis in Calicem. Non enim vacat à Myſterio quidquid in eo Officio agitur iuxtà conſtitutionem Patrum. Quid nobis videtur poſſe ſignificare immiſſio Panis in Vinum, & pax Populo porrecta per vocem Sacerdotis, magiſtris obtulimus ad dilucidandum.*

Porro ex his, quæ in fine Capitis poſuit, ſciendi quædam curioſitas oritur: Quidnam geminata ſacrati Panis in Calicem immiſſio ſignificet? illo præſertim addito quod, *ita agebatur in Romana Eccleſia, & ab illis poterat addiſci*. Hoc autem quod aſſequi neutiquam

quam potuit Amalarius antiquo huic ritui ſynchronus, aut ſaltem proximus, multò mihi explicatu difficilius eſſe quiuis agnoſcet, cùm ab eo ritu pluribus ſæculis intercedentibus ſim remotiſſimus. Attamen vt pro ingenij mei tenuitate id experiar, maximè moueor dicto Ruperti Abbatis Tuitienſis; qui in Tract. de Diuin. Offic. lib. 2. Cap. 21. *Olim* (inquit) *non tanto exterioris apparatu decoris Miſſarum ſolennia celebrabantur, nec ab vnoquolibet hæc omnis religioſi obſequij gloria conſummata, & perpolita eſt. Pontifices quippè ſacri, ſplendida Romanæ Sedis luminaria, ſicut diuerſis temporibus affulſerunt, ita paulatim ſtudij ſui claritate venuſtatem huius ſalutaris officij perfecerunt &c.* Narratis deinde quæ ſacris Miſſarum ritibus Romani Pontifices addiderunt, ita concludit: *Sic ſtudioſa diuinæ legis Eccleſia Romana paulatim protulit de theſauro ſuo noua pietatis monumenta, & quoddam, velut ex auro, lapidibuſque pretioſis religioſi officij Sancto Sacrificio fabrefecit diadema. Non quidem ſanctius hinc eſt, quàm erat priùs, quando ad ſola verbi Domini, ſolamque Dominicam Orationem conſecrabatur, ſed maximè decuit, vt Fides, quæ adhuc erat illo tempore rudis, & vt ait quidam tàm doctus, quàm Fidelis,*

Agreſti turbida cultu
Nuda humeros, intonſa comas, exerta lacertos.

Vbi ornari potuit maximè in hac parte, tanquam in

Digitized by Google

Capite ſuo deauraretur, & earum rerum, quæ ſuperiùs dictæ ſunt venerandâ ſimilitudine fulgeret. Hæc ille: quæ nos ideò præmittenda eſſe putauimus, ne quandam hiſce temporibus Lectori pariant admirationem ritus, ac cæremoniæ, quæ in Miſſarum ſolennijs aliquantulum ab antiquis diuerſæ ſunt. Sed iam ad ſupra allegatum Romanum Ordinem redeamus, nonnulla in eo ponderaturi, quæ obſeruatione digna cenſemus.

Primò autem dicitur, quod Archidiaconus accipit de manu Epiſcopi Calicem, & refundit in Scyphum, deinde porrigit Calicem Subdiacono, Subdiaconus verò tradit Archidiacono Pugillarem, per quem Populus confirmatur ſanguine, qui erat in Scypho. Calicem verò Acolythus defert in Paratorium. Id etiam legitur in alio Ordine, in quo vaſis alterius fit mentio loco Scyphi, nempe maioris Calicis, vt ibi videri poteſt. E quibus profectò colligitur conſuetum eâ tempeſtate fuiſſe Populum confirmari, non eodem Pontificis Calice, in quo conſecratio peracta fuerat, ſed alio maiori Calice, aut Scypho, in quo Archidiaconus parum Vini conſecrati poſuerat. Calicem autem, in quo Papa conſecrauerat, in Paratorio reponi. Occaſione qua diximus olim morem fuiſſe Populum confirmare, nolo ſub ſilentio præterire, quod non ſolùm ſupra laudatus Illuſtriſſimus de Nuce in eodem

ſua

ſuo Chronico Caſſinenſi ad num. 1816. & in appendice eiuſdem Chronici de eodem ritu confirmandi Populum notauit, verùm etiam ea, quæ oretenus pluries mihi in vrbanis, ac eruditis eius colloquutionibus fatus eſt. Sic enim idem Illuſtriſſimus diſſerit: *Confirmare Populum eſt Domini Sanguine Populum reficere, ac munire, quod aliquando venit etiam nomine* conſecrationis, *ad quam mentem reuocandus mihi videtur Ambroſius Lib. 1. Off. Cap. 51. vbi Laurentium Sixto Pontifici æmulatione Martyrij ſic conquerentem inducit* : Cui commiſiſti Dominici Sanguinis conſecrationem, huic conſortium tui ſanguinis negas? *Num enim Diaconus Sacramentum conficiebat, & Chriſti verum Sanguinem conſecrabat? Num deliramus cum delirantibus nouatoribus? ergo conſecratio ibi ab Ambroſio dicta, non reſpicit Corpus Chriſti verum, ſed Corpus Chriſti Myſticum. Hoc eſt, Fidelem Populum, qui à Diacono propinante, ac illis diſpenſante ſanguinem Domini, ſanctificatur, & conſecratur. Ideoque Eccleſia ſpiritu Chriſti edocta, quod Ambroſius dixit* Conſecrationem, *legendum in Eccleſiaſtico Officio* aliquando *propoſuit* diſpenſationem; *diſpenſando quippè Diaconus conſecrat Populum, & vt ſupra confirmat, non Sacramentaliter ſed miniſterialiter. Dixi* aliquando, *nam in aliquibus Breuiarijs legitur* conſecrationem.

Luculentum huic interpretationi teſtimonium perhibet Anſelmus in Cap. 2. Lucæ. Poteſt etiam (inquit) puer iſte, qui in Templo introducitur illos nunc ſignificare, qui ad fidem venientes in Eccleſiam inducuntur, vt conſuetudinem legis obſeruent, quia expletâ in Baptiſmo purgatione, introducunt eos ad ſanctum Altare conſecrandos victima diuinæ Euchariſtiæ. *Quibus Anſelmi verbis nihil ad rem confirmandam validius. Et quidem ſi vnctio Epiſcopalis conſecrare dicitur Sacerdotes, quin etiam Calices, Eccleſias, lapides; quantò magis communio Corporis, ſanguiniſque ſanctiſſimi, quibus ipſa ſanctitas ſubſtantialis hypoſtaticè vnita eſt, conſecrandi, & ſanctificandi virtutem habere dicenda erit?*

CA-

CAPVT VNDECIMVM.

Ioannis Beleth Theologi Pariſienſis, & Gulielmi Durandi Mimatenſis Epiſcopi iudicium ſuper mixtione Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum Vino non conſecrato in die Paraſceues.

OCCASIONE, qua ſupra Cap. VIII. narrata eſt commixtio ſacrati Corporis cum Vino non conſecrato in die Paraſceues fieri ſolita, ſuperuacaneum haud erit, ſi duorum celebrium virorum referam de hac mixtione iudicium. Licèt verò ratione dignitatis, Durandi tanquam Epiſcopi præmittenda ſententia eſſet; attamen ratione temporis, quod maximè attendimus, Ioanni Beleth, vtpote antiquiori, atque ideò in iure potiori, locum cedendum putamus. Tempus autem quo Scriptor iſte præciſè floruerit, incertum quidem eſt; attamen Conradus Gneſnerus in ſua Bibliotheca inter alios Scriptores eum annumerat; eiuſque opera ſcripta tradit ferè quadringentis annis ante quàm ipſe ſuam Bibliothecam publicaret:

Qui-

Digitized by Google

Quibus ſi, qui ad hanc vſque diem præteriêre ab anno 1570. quo Bibliothecam Gneſnerus edidit, anni adijciantur, quingentos excedunt.

Hæc de tempore, quo Beleth floruit, opinio confirmatur à Cæſare Egaſſio, in ſuæ Hiſtoriæ Vniuerſitatis Pariſienſis tomo 2. nam in Catalogo illuſtrium virorum ab Anno 1110. vſque ad Annum 1200. annumerat præfatum Ioannem Beleth, Durandum verò in fine XIII. ſæculi, vt infra.

Ioannes igitur Librum de Diuin. Offic. concinnauit, in lucem editum à Cornelio Laurimano Vltraiectano, in quo Cap. 99. de duabus partibus Sacramenti, dum quærit cur vna pars Sacramenti, ſcilicet Corporis, ſub ſpecie Panis, die Cœnæ Domini reſeruetur, non verò altera pars, ſcilicet Sanguis ſub ſpecie Vini, de vtroque rationem reddit, ac addit, ſe veritate, & SS. Patrum auctoritatibus fultum, exiſtimare Vinum, quod eo die ſumitur in communione, ex contactu Dominici Corporis, non conſecrari, vt Scriptorum quamplurimis viſum eſt, ſed tantummodo ſanctificari, maximumque diſcrimen inter conſecratum, & ſanctificatum intercedere; cum *conſecratum* id ſit, quod in conſecratione (vt verbo ipſius vtar) tranſubſtantiatur; *ſanctificatum* verò, quod per verborum ſignificationem ſanctum efficicitur, ſine aliqua tranſubſtantia-

tia-

tiatione, vt aqua luſtralis, quam ideo benediẜtam dicimus. Rurſuſque *ſanctificatum* id vocari, quod à taẜtu rei ſanẜtificatæ magis reuerendum efficitur. Si autem diceretur, quod ſolo contaẜtu Vinum, vel Aqua conſecraretur, fore vt inde magna rerum perturbatio, & confuſio oriretur; adeo vt Calices lauari non poſſent, ſexcenti Panes vnius Hoſtiæ contaẜtu conſecrarentur, & ſi vna aliqua gutta aquæ luſtralis, ſeu benediẜtæ in ſtagnum, vel puteum, qui profluit ex lacunis, infunderetur, aqua illa perpetuò benediẜta maneret, innumeraque huiuſmodi incommoda naſcerentur. Demum ſe præterire ſi taẜtu Dominici Corporis Vinum conſecraretur, fieri contra decretum, quod prohibet, ne hac die conſecratio fiat. Hæc ſentit Beleth.

Durandus verò in ſuo Rationali *Diuinorum Officiorum*, quod exarauit Anno 1286. lib. 6. Cap. 75. num. 11. Rogat primò: An Vinum, quod in die Paraſcenes cum Dominico corpore aſſeruato ſumitur in Altari, conſecretur, & Sanguis Chriſti efficiatur per immiſſionem ipſius Corporis in Calicem, & per eius taẜtum? Deinde ait quoſdam aſſerere quod per Dominicam orationem, quæ tunc dicitur, fit conſecratio, ſiue commutatio Vini in ſanguinem: nam Gregorius cauſam aſſignans, quare Dominica oratio à Sacerdote eâ die dicatur, tradit quod in primitiua Eccleſia Apoſtoli ſolâ oratione

tione Dominicâ vtebantur in conſecratione. Se verò neutiquam id ſentire, quia ſi id eſſet, ad eam diem Dominicum Corpus ſeruare haud opus eſſet. Præterea ex his, quæ in Canone Dominicam orationem præcedunt, elici apertiſſimè tranſubſtantiationem ad orationis ipſius prolationem non fieri; nec vllo vnquam tempore ſacroſancta Miſſarum ſolennia celebrata fuiſſe; ſine illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*. Quæ ſola in principio naſcentis Eccleſiæ ab Apoſtolis ad conficiendum proferebantur, qui poſtmodum orationem Dominicam ſuperaddiderunt. Propterea conſtanter adſtruit, Vinum illud non conſecrari, ſed ſanctificari, cùm inter hæc plurimum differat. *Conſecrari* enim eſt aliquid conſecratione tranſubſtantiari; *Santificari* verò eſt ex contactu, ſeu rei ſacrę adminiſtratione reuerendum, & ſanctum effici, vt patet in aqua benedicta, cui alia admiſcetur. Cætera autem, quæ Durandus congeſſit incommoda enumerans, quæ prouenirent ſi ſolo contactu Vinum, & Aqua conſecrarentur, cùm ab his non diſcedant, quæ ſupra in Beleth opinione expoſuimus, præterire ſatiùs exiſtimamus, quàm iteratâ eorumdem enarratione Lectorem conficere, atque ita huic quæſtioni terminum conſtituere. Plurima alia, quæ pro eadem referri, ac reſponderi poſſent, cùm hoc inſtituti noſtri non ſit, examinanda Theologis relinquimus,

mus, qui haſce quæſtiones operoſiori mineruâ exequuntur, quos inter Eminentiſſimus Cardinalis Raimundus Capiſuccus, copiâ ac doctrinâ conſpicuum tractatum edidit de proportione aquæ, quæ Vino conſecrando miſceri debet, in ſuis controuerſijs Theologicis ſelectis, in Quæſtione: *An aqua ſacri Calicis tranſubſtantietur immediatè in Sanguinem Chriſti*. §. 30. & ſeqq.

CAPVT DVODECIMVM.

An antiquitùs permiſſum eſſet Acolythis Sacratiſſimam Euchariſtiam deferre?

PATER Franciſcus Macedo ſupra relatus in ſua quæſtione de Ritu *Fermenti*, & *Azymi* Gap. 11. dubium hoc mouit: an ſcilicet, olim Acolythis ſacroſanctam Euchariſtiam deferre permiſſum eſſet? pro cuius rei diſcuſſione, nil opportuniùs cadere arbitramur, quàm ſi ſeries, & ordo temporum obſeruetur.

Oriente igitur Eccleſiâ, Fideles quum ſacra ſynaxis peragebatur, non ſolùm de Oblatis ibi participare, verùm etiam Oblationum ipſarum parti-

Digitized by Google

culas, quas à Sacerdote acceperant, domum deferre conſueuerant. Hoc autem quantum extra aleam dubitationis ſit, Eccleſiaſticæ eruditionis viri ex quamplurium Sanctorum Patrum auctoritatibus probant. Primò enim Tertullianum adducunt, qui Lib. 2. *ad Vxorem* Cap. 5. *Non ſciet* (inquit) *Maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciuerit panem, non illum credit eſſe, qui dicitur?* Et de Oratione Cap. 14. *Accepto Corpore Domini, & reſeruato, vtrumque ſaluum eſt, & participatio ſacrificij, & executio Officij.* Ciprianum, qui vixit Anno 290. Lib. *de ſpectaculis*, vbi hæc: *Qui feſtinans ad ſpectaculum demiſſus, & adhuc gerens ſecum, vt aſſolet Eucbariſtiam, inter corpora obſcœna meretricum tulit.* Et Lib. de Lapſis: *Cum quædam Mulier arcam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* Item Gregorium Nazianzi Epiſcopum cugnomento Theologum, viuentem de Anno 380. in Oratione habita in funere ſororis ſuæ Gorgoniæ, quam apud ſe in cubiculo Chriſti corpus reconditum habuiſſe, ac fusâ ante ipſum oratione à graui morbo liberam euaſiſſe, teſtatus fuit. Baſilium etiam, qui floruit Anno 370. in Epiſtola ad Cæſariam: *Quoniam verò*, ait, *per tempora illa perſequutionum vrgebantur homines neceſſariò Sacerdote vel Miniſtro*

non

non præſente, proprijs manibus percipere communionem, non eſt niſi ſuperuacuum, vt demonſtrem illam ipſam rem non eſſe grauiter, & iniquè ferendam, eo quod inueterata conſuetudo hoc ipſum re vera confirmatum dederat. Nam & illi omnes, qui per Eremum vitam Monaſticam inſtituunt, vbi copia non ſuppetit Sacerdotis, cum habeant domi communionem, de ſuis manibus illam percipiunt.

Creſcente autem Fidelium multitudine, creuit etiam reuerentia cultuſque erga tantum Sacramentum, quanquam in aliquibus locis non ita citò Eccleſiaſtica diſciplina recepta fuit. Nam in Concilio Remenſi Canone 2. & apud Gratianum de Confecratione, Diſtinct. II. Cap. 29. ſic legitur. *Peruenit ad notitiam noſtram, quod quidam Presbyteri in tantum parui pendant Diuina myſteria, vt Laïco, vel Fœminæ ſacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur, ne ſacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur. Quod quàm ſit horribile, quàmque deteſtabile, omnium religioſorum animaduertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præſumptio vlteriùs fiat: ſed omnimodis Presbyter per ſemet ipſum infirmum communicet. Quod ſi aliter fecerit, gradûs ſui periculò ſubiacebit.* Nunquam laudabilem hanc Euchariſtiæ apportandæ, de-

ferendæque per quaſque manus conſuetudinem vſque ad octauum ſæculum aliqua terrarum Orbis in parte duraſſe, apertiſſimè conijci poteſt. Nam venerabilis Beda, qui circà medium prædicti ſæculi octaui florebat, Anno ſcilicet 730. Lib. 4. Hiſtoriarum Anglic. Cap. 24. in Vita Cednonis Monachi, tradit hunc de hoc ſæculo migraturum ſanctiſſimam ſibi afferri Euchariſtiam flagitâſſe, quâ in manus acceptâ interrogauit: an omnes placidum erga ſe animum haberent? atque ita cœleſti viatico refectus, præmunituſque, vitæ alterius itineri ſe parauit. Si igitur ſanctiſſima Euchariſtia non ſolùm proprijs manibus ſumebatur, verùm etiam in ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, domum, & in itineribus etiam per Laïcos deferebatur, quid mirum ſi per Acolythos, qui Eccleſiæ miniſtri ſunt, idque ferebat illorum temporum conſuetudo, delata fuerit? ſupra memorati S. Tharſitij Acolythi, qui ſub S. Stephano I. Pontifice Martyrij palmam adeptus eſt Anno 255. allatum exemplum hunc morem comprobat, quem vſque ad Siluestri tempora in Romana ſaltem Eccleſia perſeuerâſſe crediderim. Nam in Concilio II. Romano ſub eodem Pontifice celebrato Cap. 9. ſancitum fuit, vt: *Nullus Lector, vel Oſtiarius vaſa ſacra contingerit, nullus Acolythus rem ſacratam à Presbytero iam aliò porrigeret, niſi tantùm ſupportaret, quod ei*

ſa-

Sacerdos imponet ſuo ore benedictum.

Canonem hunc vtique ſubobſcurum, Seuerinus Binius accuratiſſimus Conciliorum Collector, in hac eadem Synodo Lectorem monet ſe ex duobus magnæ vetuſtatis exemplaribus ad verbum cum alijs erroribus tranſcripſiſſe, qui ob exemplarium vitia mendaſque multis in locis aut vix, aut omninò nihil intelligi poſſent. Ideo Lector boni Conſuleret &c. Cum igitur in hoc caſu vti coniecturis oporteat, curſim aliquibus annotatis, explicatiſque, Canonem hunc ita legendum arbitror.

Nullus Lector, vel Oſtiarius vaſa ſacra contigerit; nullus Acolythus rem ſacratam à Presbytero eam aliò porrigeret, miniſtraret, *niſi tantùm*, quantum, *ſupportaret*, permitteret, *quod ei Sacerdos imponeret*, ordinaret, *ſuo ore benedictum*, conſecratum. Breuiùs & clariùs: *Nulli Acolytho licitum ſit rem ſacratam à Presbytero alicui miniſtrare, niſi de permiſſione Sacerdotis, qui ore proprio indicabit rei ſacratæ adminiſtrationem.*

Per iſtiuſmodi Canonem abſque Sacerdotum permiſſu, ac licentia, videtur omninò prohibita Acolythis rerum adminiſtratio; quod ſic re verâ fuiſſe, ex ſupra adducto Ordine Romano deducitur, quem ipſi Concilio aliquo poſteriorem exiſtimo. Narratur enim in eodem Ordine, quod Acolythi in Miſſæ ſacrificio portabant Patenam, Calicem,

cem, Fiſtulam, qua Populus Chriſti Sanguine confirmabatur; ac etiam Chriſma, quod frontem baptizandorum cruce ſignabant, dicebantque pro eis ſymbolum quando etiam neceſſitas id exigeret, ſe candidis veſtibus induebant, & aquam fontis ingreſſi, baptizabant. Inſuper portabant Sacculos pro recipiendis Oblationibus. Præterea in eodem Ordine Romano pag. 2. ſic exprimitur: *Vt autem Diaconus legere inceperit, duo Acolythi in ſacrario à Cuſtode Eccleſiæ ſacra vaſa accepturi ſunt, & ea in Chorum portaturi, & alter cum Calice Corporali cooperto, ac Vino cum Aqua mixto infuſo in dextera parte, alterque cum Patena in ſiniſtra parte erit*. Propterea meritò ex his argui poſſe arbitror, quod ſi Acolythis tempore, quo Eccleſiæ paratæ res erant, varia Patrum Concilia pro fauſto, ſalutarique illius gubernio celebrabantur, ſanctiſſimaque Pontificum Romanorum decreta emanabant, de Sacerdotum licentia ſacra vaſa tractare ac ferre licitum erat, eò magis in primitiua Eccleſia, tempore perſequutionum ijdem non ſolùm ſacra vaſa tractare, verum & Sacramenta ipſa deferre potuerint, cùm quoad Ritus Eccleſia adhuc informis eſſet, ac omnia non certo aliquo, ac ſtabili Ordine peragerentur; vnde cùm hæc de Ritu quæſtio ſit, ſuprà allegati Diui Fulberti Epiſcopi Carnotenſis verba vſurpabo, qui in Epiſtola 2. ad

Finar-

Finardum ſic ſcribit: *Nouit, & verè nouit ſerenitatis veſtræ prudentia, quod in Eccleſiaſticis Officijs plura ſunt, in quibus Orientales Eccleſiæ, & noſtræ communi obſeruatione ſibi reſpondent: ſunt verò alia, in quibus aliàs ab alijs, cultu diſpari, & variâ obſeruatione audiuimus diſſonare. Sed nec pauca, aut rara ſunt, quæ ab alijs neceſſariò ſeruanda, ab alijs non adeo curanda æſtimantur. Nec tamen nos offendit obſeruantiæ diuerſitas, vbi fidei non ſcinditur vnitas. Porrò in multis Græcia ab Hiſpania, ab illis Romana, & Gallicana diſcrepat Eccleſia. Sed neque in hoc ſcandalizamur, ſi audimus diuerſam obſeruationem, ſed non diuerſam fidem in Chriſti ſemper Ecclesijs extitiſſe. Stet enim Regina Eccleſia à dextris Regis ſui veſtitu deaurato, circundata varietate. Nos verò trita, & peruulgatâ Patrum viâ incedentes, Patrum memoriam in rationali pectoris noſtri, ideſt præcedentium Patrum exempla præ oculis habeamus, & quæ rationaliter eos egiſſe cognouimus, teneamus: Ea verò, quæ ſpirituali conſilio ab his ordinata ſunt, etiam ſi infirmitatis noſtræ ignorantiâ ad plenum videre non poſſumus, temerariæ cauillationis dente non rodamus, dum tamen à fide hæc nequaquam exorbitare ſentimus.* Hæc Fulbertus.

Cùm verò in hactenus dictis plurima de ſacris vaſis mentio facta ſit, liceat hîc aliquantiſper à ſco-

ſcopo diſcedere, vt & in Eccleſiaſtica hiſtoria minus verſatis, & omnium Fidelium admirationi conſulam; eoſque doceam Alarici Gothorum Regis exemplo in huius vrbis expugnatione, quo cultu, quâ reuerentiâ, ac veneratione erga Eccleſias, & ſacra vaſa ſe gerere opus ſit. Paulus Oroſius Lib. 7. Cap. 39. de eodem Rege ſic fatur: *Adeſt Alaricus, trepidam Romam obſidet, turbat, irrumpit (*An. 410.*) dato tamen præcepto priùs, vt ſi qui in ſancta loca, præcipuèque in ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas confugiſſent, hos in primis inuiolatos, ſecuroſque eſſe ſinerent*. Et paulò poſt: *Diſcurrentibus itaque per vrbem Barbaris, fortè vnus Gothorum, idemque potens & Chriſtianus ſacram Deo Virginem iam ætate prouectam, in quadam Eccleſiaſtica domo reperit: cùmque ab ea aurum, argentumque honeſtè expoſceret, illa fideli conſtantiâ eſſe apud ſe plurimum, & mox proferendum ſpopondit, ac protulit. Dumque expoſitis opibus attonitum Barbarum magnitudine, & pondere, ac pulchritudine ignota etiam vaſorum qualitate intelligeret, virgo Chriſti ad Barbarum ait: Hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt. Præſume, ſi audes: de facto tu videris. Ego quia defendere nequeo, contendere non audeo. Barbarus verò ad reuerentiam Religionis, timore Dei, & fide virginis motus, ad Alaricum hæc per Nuncium retulit, qui continuò*

repor-

reportari ad Apoſtoli Baſilicam uniuerſa, ut erant uaſa, imperauit: virginem etiam, ſimulque omnes, qui ſe adiungerent Chriſtianos, eodem cum defenſione deduci. Ea domus à ſanctis ſedibus longo (ut ferunt) & medio interiectu Vrbis aberat. Itaque magno ſpectaculo omnium diſpoſita per ſingulos ſingula, & ſuper capita elata palàm aurea, atque argentea vaſa portantur, exertis vndique ad defenſionem gladijs piâ pompâ munitur, Hymnis Deo Romanis, Barbariſque concinentibus publicè canitur. Perſonat latè in excidio Vrbis ſalutis tuba, omneſque etiam in abditis latentes inuitat, ac pulſat. Concurrunt vndique ad vaſa Petri, vaſa Chriſti, plurimi etiam Pagani Chriſtianis profeſſione, ſi non fide, admiſcentur: & per hoc tamen ad tempus, quo magis confundantur euadunt. Quantò copioſiùs aggregantur Romani confugientes, tantò auidiùs circumfunduntur Barbari defenſores. O ſacra, & ineffabilis diuini iudicij diſcretio. O ſanctum iſtud, & ſalutare flumen, quod paruâ exortum domo, dum beato alueo in ſanctorum ſedes tendit, oberrantes, periclitanteſque animas in ſalutis ſinum piâ rapacitate peruexit &c. Hæc Oroſius.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De Antiquitate Ordinis Romani.

CVM in hac opella ad coniecturas noſtras probandas, Ordinem Romanum ſæpè ſępiùs citare opus fuerit; vt clariùs omnibus appareat, quid Ordo iſte ſit, & quantum auctoritatis, ac fidei pondus ex eo rebus confirmandis accedat, eius originem, antiquitatemque exponendam eſſe arbitramur: Quâ etiam ex cognitione plurima poſſunt elici, quæ non parum vetera Eccleſiæ Orthodoxæ monumenta poterunt illuſtrare.

Romanus Ordo idem prorſus eſt, ac Cœremoniale, ſiue Ritualis ille Codex, in quo Cœremoniæ continentur, quæ ad Romanam Eccleſiam, tam in ſacroſanctis Miſſæ Myſterijs, quàm in alijs religioſis Eccleſiæ obeundis muneribus attinent. Eius Auctor præ antiquitate ignoratur. Si tamen coniecturæ locus eſt, antiquiſſimis Eccleſiæ ſæculis peculiare Cœremoniarum Regiſtrum fuiſſe crederem, ex quibus omnibus in vnum digeſtum

coar-

coarctatis, Romanus Ordo caput extulit, in lucem editus à Georgio Caſſandro Coloniæ Anno Redemptionis 1561. Tum à Melchiore Hittorpio in fol. Coloniæ An. 1568. apud Celenium, & hæredes Ioannis Quentel: cui acceſſit nonnullorum Auctorum appendix, quæ Eccleſiaſticos Ritus deſcribit. Ac deinde à Georgio Ferrario Typographo, qui cum noua aliorum Auctorum acceſſione, iuſſu Gregorij XIII. Romæ in ædibus Populi Romani Anno 1591. eumdem impreſſit; ſed poſt obitum eiuſdem Gregorij abſolutum, Gregorio XIV. ſucceſſori dicauit. Nuperrimè demùm Codex iſte denuò impreſſus eſt, & habetur in maxima Bibliotheca veterum Patrum tom. 13. pag. 657.

Quod ſi vetuſtatem ipſius exquiras, Hittorpium conſule in præfatione ad Lectorem, vbi eruditè ſimul, ac prolixè eam explorat. Is enim conijcit Librum hunc Cæremonialem immemorabilis Antiquitatis eſſe, & à Magiſtris Romanæ Curiæ præſcriptum adſtruit, cum nimirùm Stephano III. & Pipino primùm, ac deinde Carolo Magno annuentibus, diuinas laudes & obſequia Romanis Canticis pſallere Gallica Eccleſia exorſa eſt. Huius rei monumentum eſt apud Hilduuinum Abb. Sancti Dionyſij, Vualafridum, Sigibertum in Chronicis. Leopoldum Bambergen Epiſcopum, alioſque Auctores: tùm de Antiphonarijs Romanis ad Galli-

canas Eccleſias tranſmiſſis, teſtis eſt Amalarius, quem Ludouibus Pius Auguſtus legatum ad Gregorium Pontificem deſtinauit, vt ab eo Antiphonarios obtineret.

Præfatus autem Hittorpius vt ſuam coniecturam rationibus fulciret, concipit tandem Canonem Gelaſianum *Sancta Romana Eccleſia* quo decernitur, qui quoue tempore, ſacræ Scripturæ libri per annum legendi ſint in Officio Eccleſiaſtico, per Ordinem Romanum fuiſſe excitatum. Vnde non abs re conijci poteſt libellum hunc, vel à Gelaſio Summo Pontifice, à quo canon ille nomen accepit, vel ſaltem eius auctoritate exaratum fuiſſe. Hittorpij coniecturam ſequiturBaronius ad annum 692. num. 41. Poſt Baron. de hoc Ordine ſermonem habuit Hugo Menardus in præfatione ad lib. Sacrament. S. Gregorij, qui maximæ vetuſtatis eſſe Romanum Ordinem aſſeuerat: de quo Iſaacum Lingonenſem Epiſcopum Carolo Caluo Imperante, circa medium ſæculi noni, mentionem facere narrat, præterea Amalarius, Ludouico Pio coæuus, priſci Cæremonialis meminit; Hugo tamen Auguſtodunenſis prædicti *Romani Ordinis* auctorem Bernoldum Conſtantienſis Eccleſiæ Presbyterum autumat, qui Henrici IV. Imperatoris temporibus vixit, anno videlicet 1100. ſed Auguſtodunenſis iudicium mordicùs reijcit Menardus aſſerens

rens

rens Bernoldum Inſtauratorem, non Auctorem Romani Ordinis, illiuſque ſolummodo Recognitorem.

Nonnulla loca apud Andræam Sauſſay omnigenæ eruditionis virum, in eius Panoplia Epiſcopali præcipuè in lib. 7. cap. 6. memoratum Ordinem proferunt, cumque primùm a Gelaſio concinnè in eam ſeriem redactum fuiſſe indicant.

Poſt inclytos, probatoſque hos Scriptores haud ſperandum eſt iudicium. V. Cl. Theophili Raynaudi to. 10. poſtremæ editionis Lugdunenſis cap. 13. num. 3. pag. 375. in ea orationis parte vbi. *His* (inquit) *minus validis antiquitatis ſacrorum Agnorum firmamentis ſepoſitis, quod maximè locuples vetuſtatis eorum teſtimonium habemus, petendum eſt ex Ordine Romano, qui Liber iuxta Genebrardum exponentem S. Dionyſij Liturgiam cap. 5. pag. 20. Auctores habet ipſos Apoſtolos. Vt minimum autem liber eſt ſatis antiquus; nam & ab Amalario, & ab Alcuino Caroli Magni æquali, ac (vt volunt) Præceptore nominatim allegatur. Eſt porrò ſatis veriſimile, Ordinem Romanum multò etiam vetuſtiorem eſſe Alcuino, & Amalario, ac fortè acceptum ante datam Eccleſiæ pacem ſub Conſtantino, quamuis (vt in libris Ritualibus aſſolet) nouis ſubindè acceſſionibus locupletatum, ad quas referri poſſint, quæ in eo ex S. Leone, Sedulio, ac*

Pru-

Prudentio, allegata leguntur. Nam etiam videmus inſerta ei libro carmina Theodulphi Aurelianenſis Alcuino poſterioris. Florebat enim Anno Chriſti 840. *ſub Ludouico Pio. Eius verò feruntur eſſe verſus illi qui Ordini Romano adſcripti habentur,* Pange lingua glorioſi prælium certaminis &c. *Ad hymni vſque finem. Item illi qui frequentantur in Ramis Palmarum.*

Gloria, laus, & honor tibi ſit Rex Chriſte Redemptor,
Cui puerile decus prompſit Hoſanna *pium &c.*

Quanquam, eos de acclamantibus Chriſti Pueris verſiculos, Rainaldo Lingonenſi tribuit Anonymus, deſcribens tranſlationem Reliquiarum S. Mamantis in Bibliotheca Floriacenſi cap. 3. Vt vt ſit antiquitas Ordinis Romani non eſt exigua, & vt minimum æquat tempora Sancti Gregorij Magni, vel etiam Gelaſij I. vt non malè coniectauit Hittorpius præfatione ad Ordinem Romanum, cenſuitque Baronius anno Chr. 692. Hinc habemus non exiguam antiquitatem Ritûs de quo agimus. Huc vſque Raynaudus. Cuius fides Auctoritate Hittorpij præmunita veterrimam Romani Ordinis lucem ferè ab eius ortu auerruncat. Preterea Emanuel Gonzalez in Salmaticenſi Cathedra Iuris Canonici Interpres coniecturam Hittorpij de Romano Ordine vetuſtiſſimo approbat. Expoſitis autem tot celeberrimorum virorum accuratis circa Ordinis Romani ori-

originem ſententijs, ſine Lector vt meam quoque, qualiſcumque illa ſit, in medium proferam.

Putat igitur, vt diximus Hittorpius libellum Ordinis Romani auctorem Bernoldum Conſtantienſis Eccleſiæ Præsbyterum fuiſſe, quem tamen Menardus reſtauratorem, non auctorem facit: Du Sauſſay iudicat hoc Rituale ab eodem Gelaſio concinnatum, quam ſententiam ſequitur Raynaudus aſſerens quod ſi Gelaſij non ſit, æquat tamen tempora Gregorij Magni, vt ſupra expoſuimus.

Verùm tantorum virorum ſententijs acquieſcere minimè poſſum, cùm quæſtionem funditùs non attingant; omnes enim agunt quidem de Ordine Romano, ſed qualis ſit iſte Ordo, ne verbo quidem demonſtrant. Hittorpius omnium Anteſignanus non vnum, ſed ſex Ordines refert, quorum primus ſolummodo Miſſarum celebrationem continet. Secundus reſpicit Ordinem ſeruandum in proceſſionibus, quæ fiunt quando Epiſcopus feſtis diebus ſacra Miſſarum ſolennia celebrare voluerit. in Tertio deſcripti ſunt varij ritus quarumdam functionum Eccleſiaſticarum, quas facit Romanus Pontifex. Quartus Miſſæ Officium declarat. Quintus eſt diuerſorum Ritualium in vnum congeries, cùm Officia totius anni contineat; Sextus eſt peculiaris Ordo reſpectu temporis, cùm incipiat ab Officio diuino in die Cœnæ Domini vſque in Octa-

uam

uam Pentecoſtes. Ex horum lectione non vnum Ordinem, ſed ſex diuerſos fuiſſe comperio, qui varios Eccleſiaſticos ritus contineant, vnde non *Ordo Romanus* ſed *Ordines Romani* potiùs appellandi.

Strictiùs autem dubium hoc pertractantes dicimus ſingulas quaſque functiones Eccleſiaſticas ſuum peculiarem Ordinem habuiſſe, totque Ordines fuiſſe, quot functiones, videlicet Ordo Sacri Ritûs in Miſſæ celebratione obſeruandi, Ordo in Sabbato Sancto, videlicet Cæremoniæ, quæ Sabbato Sancto in Eccleſijs peraguntur. Ordo hebdomadæ maioris, ideſt Eccleſiaſticæ functiones, quæ ſingulis diebus fiunt in eadem hebdomada: quorum Ordinum ſinguli in proprio volumine continebantur, in quo omnes Orationes, quæ in eadem functione recitari debebant, habebantur; loco autem Rubricæ declarantis functionem cui vel Epiſcopus vel Sacerdos operam dabat, eamdem, figurâ inibi opportunè delineatâ, quæ actum exprimeret, demonſtrabat, exempli gratiâ, in benedictione fontis expreſſus eſt ipſe fons cum Epiſcopo aquam benedicente, in alio loco Epiſcopus cereum in aquam immergens, idem alibi in aquam inſufflans, in alia figura oleum Cathecumenorum in aquam infundens; ſemper autem in eiſdem figuris viſitur Clerus aſtans.

Inſu-

Inſuper ſi quid in Ambone legendum erat, figuræ in volumine inuerſo ordine depingebantur, hoc pacto, videlicet Scriptura in voluminis reuolutione recto ordine Lectori prodibat, figuræ verò inuerſo; At quia Lector volumen extra Ambonem dimittebat, ſic figuræ Populo volumen inſpicienti recto, ſcripturæ verò inuerſo ordine apparebant.

Tria volumina ſic deſcripta aſſeruantur in inſigni Cimelio Eminentiſſimi Hieronymi Cardinalis Caſanate de Republica literaria optimè meriti, de quibus etiam ſupra in diſſertatione *de Fermentato* Cap. VII. meminimus. Horum primum continet Orationes Ordinum Eccleſiaſticorum, incipiens à prima tonſura vſque ad Presbyteratum. Secundum verò Præconium *Exultet*, quod canitur in die Sabbati Sancti. Tertium denique cæteras omnes functiones expreſſas habet, quæ eâdem Sabbati Sancti die celebrantur.

Ex characterum forma dicerem omnia illa volumina ante Annum milleſimum exarata fuiſſe, vnde coniectari poteſt ſupradictum Bernoldum, qui vt diximus, floruit anno 1100. Nonnulla ex his voluminibus collegiſſe ac in vnum Codicem omnia digeſſiſſe, qui Codex poſtea *PONTIFICALE* appellatum eſt.

Meas haſce coniecturas non ineptas eſſe oſtendunt Libri, quos edidit eruditiſſimus vir Ioſeph Ma-

ria Thomaſius, qui Sacramentorum Codices Romæ Anno 1680. typis mandauit; in quibus continentur tres Libri Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ. Item Miſſale Gothicum, ſiue Gallicanum vetus, & Miſſale Francorum. Poſtea An. 1683. Pſalterium ad antiquam formam reſtitutum: ac denique anno 1686. duo opuſcula ſub titulo *Reſponſorialia Romanæ Eccleſiæ*, quibus demonſtrat antiquos ritus in cantu obſeruatos, quare ſupramemoratæ collectiones indicant vſum veterem ſigillatim ſcribendi ſingulas Eccleſiaſticas functiones.

Modum hunc ſingulos Eccleſiaſticos ritus in ſingulis voluminibus deſcribendi adhibitum puto, ne nimia eſſet voluminis farrago, ac nimium pondus, vnde voluentibus, & reuoluentibus tedium, cumque aſſiduè præ manibus tenentibus graue incommodum faceret. Quare Eccleſiaſtici vnicam functionem in vnico volumine deſcribebant: quando igitur membranarum, & papyrorum folia ſimul connecti, ac in Codicis formam redigi cœptum eſt, tunc etiam in vno Codice plures materiæ conſcriptæ, & coaceruatæ fuerunt.

Huc vſque in genere de Ordine Romano noſtras has expoſuimus coniecturas. Modò verò ad ſingula deſcendamus, & reaſſumendo ſex præfatos Libellos ab Hittorpio in lucem editos, examinemus

ſi

ſi fieri poſſit, eorum vetuſtatem, & an vera ſint Ritualia Romanæ Eccleſiæ tantùm, an verò alterius Eccleſiæ quæ Ritui Romano ſeſe conformauerit.

Vt autem faciliùs vetuſtas deduci valeat, nonnullas obſoletas voces in eo contentas, in lucem affero. Prima eſt *Sellaris*, quæ geſtatoriam ſedem Pontificis rotulis ſuffultam denotat, cuius prototypum delineauit Eruditus vir D. Macrus in ſuo Hierolexico. Legitur in eodem libello vox *Ambo* pulpitum deſignans; *Amulæ*, Ampullas denotantes; *Archiparaphoniſta*, qui eſt quartus ſcolæ Cantorum; *Cereoſtata*, Candelabra ſignificantia; Item *Colum* vaſculum argenteum, quod ſubtiliſſimis foraminibus in imo fundo perforatum, per quæ vinum ex amulis in calicem infundebatur; *Fanon*, quod velum lineum erat; *Mappula*, manipulum denotans. Fit in eodem mentio de *Proceſſoribus*, qui Epiſcopum in proceſſionibus comitabantur. Item de *Sacellario*, qui pro Theſaurario intelligebatur. De *Thymiamatherio*, quo nomine veniebat nauicula thuriferaria, ſimilibuſque inuſitatis vocibus affluit, quæ ne prolixior videar ac tædio ſim, omittam.

Secundo loco ponderandi ſunt ritus in eodem Libello deſcripti, vbi fit mentio de Proceſſione quæ ab Auſtro ad Septentrionem tendebat; quum

Pontifex ſiſtebat in Secretario, parabatur Euangelium reſeratum ſigillo ex præcepto Archidiaconi ſuper Planetam Acolythi; illud deinde prope Papam allatum, & aræ ſuperimpoſitum, Pontifex prono capite deoſculabatur.

Acolythi ante greſſum Papæ ad ſcholam Cantorum, Cereoſtata ſegregabant quatuor dextrorſum, tria verò ſiniſtrorſum, vel lineatim ab Auſtro ad Septentrionem: peractâ collectâ ordine lineari centrum Eccleſiæ occupabant, intonabantque Cantores *Gloria patri*. Abſolutâ Euangelij lectione extinguebantur candelæ, thuribuliſque per Altaria productis, poſteaque Populo oblatis, fumigeras quiſque thuris exhalationes manibus ad os ventilabat.

Secundus Libellus incipit per hæc verba: *Poſtquam prima hora &c.* quoad voces. Aliquæ obliteratæ, aliæ tempore tam vetuſto antiquatæ ſunt. Vt *Archiſubdiaconus*, *Cereoſtata*, *Ambo*. Quo verò ritum reſpicit, obſeruatur Candelabrorum depoſitio, prout in primo Libello cernere eſt: dicitur tantum, quod ſiſtebant ordine recto, vel in crucem diſpoſiti: & Presbyteris ab Antiſtite Corpus Domini manibus ſumere conſuetum erat, Subdiaconis verò ore.

Hunc quidem Libellum ex vocibus, ac ritibus Eccleſiaſticis in eodem expreſſis Eccleſiæ Romanæ Ri-

Rituale eſſe, ac poſteriora Gregorio Magno tempora redolere, in dubium iudicio meo reuocari non poteſt.

Duo enim apertiſſima illius loca, quæ dicemus; comprobant; in quorum primo ſic narratur. *In quibuſdam locis eſt vſus & conſuetudo*: ex quibus verbis inuictum hoc ac ineluctabile dilemma inſurgit; præfata locutio vel eſt ipſius Ordinis Romani germana, vel extranea: ſi primum, patet ad ſenſum alia præter ipſum Ritualia extitiſſe, quæ illi annexa fuerunt. Si ſecundum, quis ambigat Libellum hunc Romani Ordinis proprium non eſſe, ſed ipſi inſertum? ſecundus locus apertior eſt; vbi hæc: *Quod Archiſubdiaconus accipiens Calicem ab Acolytho Archidiacono, apportet vinum per Colum, quod in ſiniſtra manu Romanus Ordo per Archiſubdiaconum auriculari digito ferre iubet &c.* Qua quidem ex oratione perſpicuum eſt hunc Libellum non eſſe Romani Ordinis, quem vt alienum appellat & citat: facilè dehinc credere poſſumus Romanum Ordinem à Ritualibus ſeparatis vnà cum eius cardinalibus documentis compactum, poſteriorem tamen in tempore ſupradicto exaratum fuiſſe, inferiùs enim nonnullas nimis ſcrupuloſas cæremonias iam antiquatas obſeruo. Tertius libellus orditur ex illis verbis: *Primum omnium obſeruandum eſt &c.* Vocumque obſcurarum fœcundiſſi-

diſſimus eſt: En ſi quæris: *Stratores*, *Vicedominus*, *Veſtiarius*, *Sacellarius*, *Gemelliones*, *Pugillaris*, *Colatorium*, *Aduocatores*, *Senatorium*, *Oratorium*. Inſunt & in eodem aliæ voces in primo Libello enunciatæ, vtpotè *Cereoſtata*, *Cantatorium*, *Sellaris*, *Sella Archiparaphoniſta*, *Thymiamatherium*, *Ambo*, *Amulæ &c.* De cæremonijs autem ad ritum ſpectantibus, maximè quoad illam *Cereoſtata*, *ſeu Candelabro demittendi præcipit*, *vt abſoluta oratione poſt Gloria &c.* Amoueantur Cereoſtata de ſitu, quo prius locata erant, & per medium Eccleſiæ in rectam lineam componantur. Atque hic certè liber Rituali Romanæ Eccleſiæ Magiſtro adſcribendus eſt, cùm ex eo hauriatur, ritus omnes à Romana Petri, ſucceſſorumque eius Cathedrâ dimanare, & ad eandem pertinere. Prima Libri facies vrbem in ſeptem Regiones partitur: Hîc notabilis eſt vox *Apoſtolicus*, quæ Papam per Antonomaſiam ſonabat. Verbum *Domne* pro Domine vſurpatum eſt per ſyncopem. Dictio *Apoſtolus* pro Epiſtola ſumpta iacet. *Paraphoniſta* ideſt Cantor. *Calix anſatus*, in quo Pontifex conſecrationem delibabat. *Calix Maior*, cum quo Populus confirmabatur, ſiue potiùs abluebatur. Fontis nomine Ampulla veniebat, in qua ad Sacrificij ritus Aqua parata erat: Pontifex induebatur Dalmatica lanea, ſella eius Pontificalis à Cubiculario laïco vehebatur;

tur; vndequaque per vias equitans conſiſtebat, aures ad ſe Accedentibus humaniſſimè porrigens. In fine autem ſeriem ordinatam exequitur eorum qui proceſſionaliter commeabant hoc gradu, videlicet poſt Epiſcopos ſucceſſiuè procedebant Preſbyteri, immediatè exinde Monachi; Deinde ſchola, poſteà Milites Draconarij, ideſt qui ſigna geſtabant: Hinc Baiuli, & poſt eos Cereoſtatarij, quos ſequuntur Acolythi, qui Rugam conſeruant, poſt hos extra Presbyterium Cruces portantes, Manſionarij poſtea Iuniores gradiuntur, & intrant in Secretarium. Vox illa *Ruga* non parum affert obſcuritatis, de qua Macrus in ſuo Hierolexico, Ferrarius de Orig: ling: Ital: & Du-Cange in ſuo Gloſſario, varias commentati ſunt ſignificationes, nulla tamen earum congruit rei & loco: de hac voce ſuo loco diſſeremus. Iſtius Ritualis tempus ad ſeptimum fortaſſe ſæculum referendum eſt.

Quarti Libelli principium idem fermè eſt cum antecedenti & modicum quoad ſubſtantialia ab illo diſcrepare videtur. Vnde euidenter ex contentis elucet Rituale eſſe ex primo & antecedenti; ac forſan alijs conſarcinatum, & ad Eccleſiam Romanam tantummodo attinere, cum de ceremonijs in vrbe ſeruandis in eo agatur, vt in tertio ſupra relato oſtenditur, ideo cùm in eo digniora ſatis ſint enunciata, eadem hic repetere incongruum duximus,

mus & ineptum, ac propterea ad quintum accedimus.

Cùm in ſuperiùs allatis actum ſit de ſolennium Miſſarum celebratione, in præſenti quinto agitur de reliquis anni totius officijs, functionibuſque. Sic autem incipit: *In vigilia Natalis Domini &c.* In iſto aliqua quoad ritus notatu digniſſima ſunt, è quibus magis peculiaria reponimus, alia ſtudio breuitatis omittimus. Sermo hîc inſtituitur de Feria Quarta Quadrageſimæ quæ ſacri ieiunij caput eſt, in qua Sacerdos præmonere debet Chriſtianos ex ſacris Scripturarum teſtimonijs, quatenus ex ianua ieiunij ad veram confeſſionem veramque pœnitentiam feſtinantiùs accedant: ſi autem neceſſitas euenerit, & Presbyter præſens non fuerit, Diaconus Pœnitentes ſuſcipiat, & det ſanctam communionem; denique cùm Sacerdos ſuſceperit pœnitentem, ſi laïcus eſt, dimiſſo baculo &c. inclinat ſe ante Sacerdotem. Mos iſte quod Chriſtifideles deferant baculum in Eccleſia, deducitur etiam ex primo Libello, vbi legitur quod baculi omnium deponebantur de manibus quando ſaua Euangelia legebantur. De hiſce Baculis, eorumque notis, peculiarem diſſertationem inſtituemus in tractatu *de ſacris Muſiuis operibus*, quem ſumus propediem edituri. Quoad Baptiſmum plurimi ritus adſunt, nempe quod Parentes baptizando-

rum

rum offerebant, & antequàm Cathecumeni baptizarentur, Græco, deinde Latino idiomate interrogabantur, ponebantque pedem ſupra pedem Patrini, tum Baptiſmus trinâ immerſione celebrabatur; quæ cæremoniæ Eccleſiâ permittente obſoletæ iam ſunt, & in deſuetudinem abierunt. Item Confirmatio illicò poſt ſuſceptum Baptiſimum conferebatur, Populuſque ſub vtraque ſpecie Corpus Domini ſumebat: His igitur hactenus obiter cumulatis Lector contentus ſit, alia ſi libeat poterit in eodem ordine delibare.

Sextus denique Libellus edocet metodum officij diuini à Cœna Domini vſque ad Octauam Pentecoſtes, eiuſque initium hoc eſt: *Feria quinta Maioris hebdomadæ &c.* Omnia autem quæ notatu præcipuè digna in eo contenta ſunt, huc reuocare ſi coner, nimis prolixus euadam, ac breuitati, cui vni maximè ſtudeo, maximè officiam.

Iſti duo poſteriores Ordines licèt ab Eccleſia Romana deſumpti ſint, obſeruabantur tamen ab alijs Eccleſijs, vt deducitur ex Quinto ibi: *Secundùm Romanos autem cùm appropinquauerit atrio S. Mariæ &c.* Idem ex Sexto ibi: *Notandum verò eſt quia in Romana Eccleſia extinguitur totus ignis in hac feria hora Sexta &c.* Et alibi: *Item ſecundùm Romanos.* Item in alio loco: *In Octauis Paſchæ &c. infra Ciuitatem Romanam dantur agni cerei &c.*

Tempus verò iſtorum Ordinum poſt Annum ſalutis milleſimum eſſe credo, quia in eis multa leguntur, quæ etiam ſunt in Ordinibus Romanis M SS. Cencij Camerarij, ac Benedicti Canonici.

Atque hæc de ijs omnibus, quæ in præfatis libellis habentur delibaſſe ſufficiat; quæ tamen nimium apta ſunt, vt vetuſtas ipſius Romani Ordinis apertiſſimè concipiatur.

Iis, quæ in hoc Capite de antiquitate Ordinis Romani pertractauimus, opponi præcipuè poſſet, Ordinem iſtum non eſſe purè Romanum, ſed interpolatum.

Primò, hoc arguitur ex illis verbis, quæ habentur in quarta Miſſa: *Sicut enim in Romana Eccleſia ſummo Pontifici miniſtrant Epiſcopi, ſic in cæteris Eccleſijs debent Epiſcopis facere Presbyteri.*

Secundò, quia quæ dicuntur de die Paraſceues in Ordine Romano edito, non extant in antiquioribus M SS. Ordinibus, ideoque additamentum eſſe poſterioris æui, & non pertinere ad germanum vetuſtiorem ritum Eccleſiæ Romanæ.

Tertiò, Cardinales Perronium, Bellarminum, alioſque ſcriptores ſuppoſuiſſe tamquam germanum ritum Eccleſiæ Romanæ mixtionem ſacrati Vini cum Vino non conſecrato, (de quo Cap. X. egimus) vel fortaſſe non contuliſſe varios Ordines editos, ac M SS. ad dignoſcendum interpolationem.

Ad

Ad hæc omnia, aliaque huiuſmodi, quæ ad probandam interpolationem, varietatemque Ordinum editorum obijci poſſent; reſpondemus.

Primò, illa verba: *Sicut enim &c.* cur ipſimet Ordini Romano Summi Pontificis exemplum proponenti, adaptari nequeant, certè non video; cùm ipſi Summi Pontifices ſæpiſſimè in ſuis Diplomatibus, & Literis, de ſe ipſis ita loquantur: *Decet Romanum Pontificem &c. Ad Romani Pontificis curam &c.* Et præterea, quod maximi momenti eſt, nullæ aliæ cæremoniæ ac ritus ibi continentur, quàm quæ ad Romanum Pontificem vnicè, vti dictum eſt, ſpectant.

Secundò, ea quæ dicuntur de die Paraſceues in Ordine Romano edito, non extare in antiquioribus MSS. adeoque additamentum eſſe poſterioris æui, quid ad me? cùm de ritu ipſo, non verò de tempore, quo cœperit, inquiram. Io: Beleth, & Guilielmum Durandum, de quibus Cap. X., imitatus.

Tertiò, in alijs etiam Scriptoribus varietates aliquas ex MSS. Collatione deriuare certum eſt: numquid propterea fides auctori deneganda? & tamquam non germanus ille admittendus? cùm præſertim nulla ibi contrarietas inſit; ſed ſolummodo, quæ in vno Codice interdum leguntur, in altero non habeantur, ex quo variantes lectiones, Auctorumque emendationes oriuntur: vt ac-

cidit Rituali San-Gallenſi, in quo vox *Fermenti*, de quo nulla apud reliquos mentio, apertiſſimè legitur.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

De Voce RVGA.

PRÆCIPVVM, ac diuturnum quamplurium eruditorum virorum ſtudium eſt, ac ſemper fuit, è tenebris quædam Scriptorum loca, voceſque iam obſoletas eruere, ſituque iniurioſæ vetuſtatis obtuſas, nitori priſtino reſtituere. Hinc tam prolixæ ſuper aliqua voce diſſertationes; tantaque Lexicon volumina, magna literarij penu incrementa prodiere, & in dies prodeunt. Exemplum ſit vox iſta *Ruga*, de qua plures ſcripsêre, & habetur in Ordine Romano, Hittorpij operâ impreſſo, vbi agitur qualiter Miſſa ſit celebranda: & incipit: *Primùm omnium obſeruandum &c.* Ibi deſcribitur Proceſſio, quæ Miſsâ finitâ fit è presbyterio in Secretarium vbi ſic: *Poſt Epiſcopos Presbyteri, deinde Monachi, deinde Schola, deinde Milites Draconarij, ideſt qui ſigna portant: poſt eos Baiuli,*

poſt

Digitized by Google

poſt eos Ceroſtatarij, poſt quos Acolythi, qui Rugam *conſeruant, poſt eos extra præsbyterium Cruces portantes, deinde Manſionarij iuniores, & intrat in Secretarium.* Videlicet Pontifex.

Quæritur hîc quidnam eſſet *Ruga*, quam Acolythi conſeruabant: cùm igitur apud Bibliothecarium *de vitis Rom. Pontif.* pluribus in locis de hac voce fiat mentio, quam eius æuo vſitatam fuiſſe arbitror; ideo eiuſdem Bibliotecarij loca referre meum duxi, vt ex illis firmiorem Lector ſententiam amplectatur.

Igitur in Stephani IV. vita §. *Erat*. Sic Bibliothecarius: *Fecit enim tres regulares argenteos ſuper* Rugas, *per quas ingrediuntur ad Altare*. In Hadriani I. §. *Cimiterium*: *Fecit Laudunas duas ex argento penſantes libras octo, quas poſuit ſuper* Rugas *de presbyterio, vbi arcus de argento exiſtit*. Et in §. *At verò*: *Fecit etiam ter Beatitudo eius Imagines ſex ex laminis argenteis inueſtitas, ex quibus tres poſuit ſuper* Rugas, *quæ ſunt in introitu Eccleſiæ Presbyterij &c.* & infra: *In Superiori vero* Ruga, *ideſt in medio Presbyterij, faciens aliam regularem ex argento inueſtito, conſtituit ſuper eam reliquas tres Imagines*. Item in §. *Hic verò*: *Fecit* Rugas *in Præsbyterio à parte virorum & mulierum ex argento puriſſimo penſantes libras centum triginta, nec non & alias* Rugas *in caput Presbyterij antè Confeſſio-*

feſſionem ex argento penſantes ſimul centum, & quatuor. In Leone III. §. *Qui plures: Fecit in Confeſſione eiuſdem Apoſtoli (nempe Petri)* Rugas *ex auro puriſſimo cum gemmis diuerſis penſantes lib. quadraginta & nouem*: & in §. *Similiter: Fecit* Rugas *argenteas in ingreſſu Presbyterij penſantes lib. Octuaginta*. Ac in §. *Pariter: Fecit in Baſilica Doctoris Mundi B. Pauli Apoſtoli Confeſſionem, ſimul &* Rugas *ex auro obrizo habente gemmas pretioſas inſtar B. Petri Apoſtoli, penſantes libras centum quinquaginta, & ſex*. Item in §. *Fecit autem: In Baſilica B. Andreæ ad B. Petrum Apoſtolum*, Rugas *argenteas penſantes libras octuaginta*, & in §. *Iſdem verò Prælatus: Fecit in Baſilica Sanctæ Dei Genetricis ad Præſepe Cortinam* &c. *nec non & intro* Rugas *Maiores, atque ante Secretarium numero duodecim*. Hîc notandum eſt, quod *Rugæ* numero deſcribuntur. Item in §. *Hic fecit ad B. Andream: Nec non & Altare Maius ſub Abſida conſtruxit, cuius faciem, atque Confeſſionem, ſeu* Rugas *ad decorem ipſius ſacri Altaris inueſtiuit ex argento mundiſſimo, penſantes ſimul lib. quadraginta & octo*. Et in §. *Verum etiam & in Oratorio*: circa finem: *Inueſtiuit vbi ſupra* Rugas *ante ingreſſum Altaris ex argento puriſſimo penſans lib. quadraginta octo & vncias octo*. In vita Paſchalis I. §. *Præterea idem: Fecit etiam & ante veſtibulum Altaris* Rugas *maio-*

res

res ex argento penſantes lib. ſeptuaginta & octo. Et in §. *Necnon & in trabem*. *Venerabilis quoque Præſul fecit in Eccleſia B. Dei Genetricis*, *quam vocant Dominicam*, Rugas *ex argento penſantes libras ſexaginta ſex*. In Gregorio IV. in §. *Veſtem*: *Fecit autem in Confeſſione ipſius Baſilicæ* Rugas *de argento ex auro perfuſas*. In Sergio II. §. *Obtulit*: *Obtulit verò ad honorem ipſius venerandæ Baſilicæ Cantharos de auricalco duodecim*: Rugas *ſimililiter de auricalco paria ſex*. Item in Leone IV. §. *Petri quoque*: *Immò fecit &* Rugas *ſacræ Confeſſionis ex argento conſtructas*, *vultus habentes B. Petri*, *& Pauli*, *penſantes omnes libras ducentas & octo*. Denique in Nicolao I. §. *Hic igitur*: *Porrò in purpureis marmoribus*, *quæ ante Corpus B. Petri Apoſtoli* Rugas *argenteas retinent*, *dexterâ*, *læuâque duas Cruces argenteas offerens poſuit*.

Legitur quoque hæc vox diminutiuè in vita Paſchalis I. in §. *Fecit*: *Propitiatorium Sacri Altaris ex argenteis laminis mirificè exornauit*. *Confeſſionem denique eius cum* Rugulis *ſuis interiùs exteriùſque vallantem pulcherrimè compſit*, *atque decorauit*, *quæ ſimul pens. libras trecentas*. Et in §. *Præterea idem*: *Propitiatorium verò ſacri Altaris*, *ſeu Confeſſionem interiùs*, *exteriùſque cum* Rugulis *ſuis ex auro puriſſimo mirificè decorauit*. *pens*. *libras centum ſeptuaginta quatuor*, *& vncias ſex*.

Hæc

Hæc de voce *Ruga*. Quali autem, quantâque ſcriptorum Mentes ambiguitate fatigauerint ſcripta Bibliothecarij ſuper hac voce, quæ nos huc vſque retulimus, ſatis ſuperque è ſuboſcuris eiuſdem verbis poterit ipſe Lector iudicare. Nobis autem antequam noſtram proferamus ſententiam, aliorum iudicium exponere decretum eſt: vt ponderatis omnium ſententijs, veritas magis eluceat.

Omnium primùm hanc vocem explanare tentauit Bulengerus de Donar. Pontif. lib. 2. cap. 43. vbi ſic *Rugas* interpretatur: Rugæ *in marmore vel metallo ſtriæ ſunt, canaliculi, ſulci*, Rugarum *inſtar, quæ in fronte ſenum contrahuntur, ſunt tabulæ ex auro, vel argento rugoſæ, & ſtriatæ*. Nonnullaſque ex ſupra allatis Bibliothecarij auctoritatibus allegat.

Luculentam poſt Bulengerum diſſertationem de *Rugis* contexuit eruditus vir Claudius Salmaſius in ſuis notis ad librum Tertulliani de Pallio cap. 5. ibi: Rugæ *in veſtibus aliæ caſu fiunt, quæ ex ipſa veſtis redundantia varijs modis complicatâ naſcuntur, in conditæ & inordinatæ; aliæ arte conſtant, quæ ex induſtria ſtruuntur ad aliquem veſti ornatum conciliandum.* στολίδας *has Græci vocant, quas in fine tunicarum certo modo atq; ordine inuicem nexas, vinculum retinebat. Vnde* στολιδωτοὶ χιτῶνες, qui rugis huiuſmodi, & plicis ſtriabantur. Pollux: εἴη δ' ἄν τις καὶ στολιδωτὸς χιτών.

στολι-

στολίδες δὲ εἰσὶν αἱ ἐξεπίτηδες ὑπὸ δεσμοῦ γιγνόμεναι κατὰ τέλη τοῖς χιτῶσιν ἐπιπτυχαί. Strictæ tunicæ *dicuntur in vulgari verſione Bibliorum*; *ſic* ſtricta frons *apud Petronium pro rugata*. In hanc poſteriorem ſententiam inclinat Voſſius in ſuo Etymolog. ſub hac eadem voce, nam: *Ruga*, inquit, *Græcè* ῥυτὶς *vt* rugo, *&* corrugo, ῥυτιδόω. *Item* ῥυσόω, *&* ῥυσσόω. *Eſt & Latinum & Græcum*, ἀ. ῥύω; *hoc eſt* ἐρύω, *ſiue* traho. *Eſt enim* Ruga *aliud nihil*, *quàm* cutis in plicas & quaſi ſulcos contracta.

Torrigius in ſuis cryptis Vaticanis p. 2. pag. mihi 442. & 471. *Rugas* fuiſſe Ianuas exiſtimat; & in pag. 500. meminit de *Ruga Francigena*, ſiue *Rugâ Franciſcâ*; quæ voces habentur in quibuſdam antiquis Inſtrumentis, quæ aſſeruantur in Archiuo Vaticanæ Baſilicæ, nihil aliud denotantes, niſi viam Francorum, ſeu Gallorum.

Dominicus Macrus in ſuo Hierolexico, hanc vocem diuerſos habere ſenſus demonſtrat, & aliquando acceptam pro ſulco, interdum pro canaliculo, & non ſemel pro Siphunculo, in quo ponebantur aliquæ virgæ pro ſacrorum *Altarium ornamentis*, *Laudanæ appellatæ*. Nec defuiſſe ſubiungit aliquos, qui crediderunt *Rugas* eſſe argenteas laminas ad vndarum figuras ornatas, quibus facies Altaris decorabatur.

Verùm antequàm Macrus ſuum Hierolexicon promulgaret, laudandæ memoriæ vir Octauius Ferrarius, in ſuo tractatu de origine linguæ Italicæ, varios huic voci ſenſus attribuit. Autumauit enim *Rugam* denotare viam, ſiue *Corriuium*, aut *Carrobium* (ideſt viarum in vrbe concurſum) Latinis *Compitum*, quæ per vias diuerſas, vt Triuia, & Quadriuia, & apud Mediolanenſes Compitum Diui Pauli, vbi Quadriuium Carrobio denominari, & ab eo *Rugam* deriuatam eſſe aſſerit: Nam Corriuium, Carrobium, Corruga, Ruga, Rua, Rüe idem ſignificare apud diuerſas Nationes comprobat. Has Ferrarij coniecturas ſequitur Du-Cange in ſuo Magno Gloſſario in eadem voce *Ruga*, docetque hanc vocem denotare plateam, vicum, Gallis *Rue*: allegatque Auctoritatem Papiæ, qui claruit anno 1200. vt teſtatur Gneſnerus in ſua Bibliotheca: ille enim *Rugam*, *Romæ*, *ſemitulam*, indicare nos docet. Du-Cange autem eundem corrigit, vbi pro *Romæ*, legendum putat, *Rumæ*, ex Græco ῥύμη Et exempla nonnulla profert. Pro vera intelligentia poſtea ad præcitatum Romani Ordinis locum deſcendit, & Bulengeri iudicium veluti à vero multum aberrans reprobat, reſpuitque, vnum hunc ei Romani Ordinis locum obijciens: at Bulengerus nullatenus vocem explanandam ſuſcepit, quæ in Romano Ordine continetur: ſed illas, quæ referuntur ab Anaſtaſio. Per-

Digitized by Google

Pergit inde Du-Cange in deſcriptione Vrbis Conſtantinop. lib. 3. cap. 73. ad *Rugæ* vocem pleniùs examinandam; aſſeritque id, quod à Græcis *Solea*, & a noſtris limen, ac liminare dictum eſt, *Rugam* Romanum Ordinem nuncupâſſe; adducitque illud, quod, *ex Secretario per hanc quaſi viam in Sacrarium pergeret Pontifex ſacra facturus*. At hic potiùs calami lapſus cenſendus eſt, dicendum enim aptiùs eſſet, quod, *ex Sacrario ſeu Præsbyterio, ſacris iam peractis ad Secretarium Pontifex ſit rediturus*, quam viam allatus auctor dictam fuiſſe *Rugam* exiſtimat: & ad corroborandam Ordinis Romani intentionem, affert Suareſſium in Charta Cornutiana ab eo editâ his verbis: *Et ante Secretarium, vel curricula, vela lineata rotulata, penſilia habentia arcus duos*. Comparat inde eiuſdem Romani Cæremonialis verba, quibus proceſſionem de Altaris ad Secretarium deſcribit, vt initio diſſertationis meminimus, ac tandem concludit vocem hanc nullam poſſe aliam habere interpretationem, præter illam viæ, ſeu liminis, etiam in dictis Anaſtaſij phraſibus, quibus in enarrandis Pontificum Romanorum donarijs vſus eſt, vbi de *Rugis* paſſim, vt patet, ſermo habetur. Allegat inſuper VVillelmum Tyrium lib. 12. cap. 25. ac ita quoque vſurpatum fuiſſe vocabulum probat ex Bulla Alexandri Papæ anno 1165. in MS. Paſtoralis Eccleſiæ

Digitized by Google

Pariſienſis lib. 19. Chart. 17. ibi: *Vſque ad locum qui vocatur Tudella in* Ruga *eiuſdem S. Germani*.

Hæ ſunt Auctorum ſententiæ de voce *Ruga*, nempe quod *Ruga* in marmore vel metallo ſit *ſtria*, vel *canaliculis* ad inſtar *Rugarum*, quas in fronte ſenum, cute ſe contrahente, conſpicimus; Item etiam tabula ex auro, vel argento rugoſa & ſtriata; Quin & complicatio illa ſit, quæ fit in veſtibus; vel etiam ianua, & ſiphunculus; aut argenti lamina vndata; vel via, ſiue *Corriuium*, aut *Carrobium*, aut platea. Quæ explicationes an applicari poſſint ad Ordinis Romani locum: *Acolythi Rugam conſeruant*, nemo non videt.

Verùm antequàm noſtram ſuper hunc locum ſententiam proferamus, aliquas coniecturas præmittendas exiſtimauimus, quas habemus in ſupradicta Anaſtaſij loca, quæ licèt, vt videmus, diuerſimode expoſitæ fuerint, ſuboſcura adhuc remanent. Si enim rectè perpendatur Bibliothecarius, *Ruga* apud ipſum nihil aliud denotat, niſi gradus è marmore, vel ex alio lapide Presbyterij, aut alterius loci: ni potiùs gradus è ligno, ſiue metallo, aut aliâ quauis materie, qui Altari ad ornatum ſuperponuntur; in quibus Crux, Candelabra, ac Reliquiæ Sanctorum apponi ſolent. Nolo hîc ad probanda quæ dicimus ſingula eiuſdem Bibliothecarij loca recenſere, ſeriòque ea diſcutere, ne Lecto-

ctori moleſtiam pariam, qui fortè ocioſior, ſedulò, ſi libeat, eadem ponderandi prouinciam aggredietur. Nos interim ad excitatæ dubitationis enodationem accedimus, ad ea ſcilicet verba: *Acolythi* Rugam *conſeruant*.

Prædictorum Auctorum dicta ſæpè ſæpiùs mente reuoluens, neminem adinueni, qui hanc *Rugæ* vocem iuxta genuinum ſenſum Ordinis Romani declarauerit; dubitaui propterea primâ fronte, an loco *Rugam*, *Rogam* legendum eſſet? ſuſpicabar Acolythos conſeruâſſe crumenam, in qua *Roga* continebatur: *Roga* enim erat *Donatiuum*, quod Pontifex Clero, alijſque ſibi inſeruientibus elargiebatur, & ſub alio nomine Presbyterium denominabatur; de quo fusè in Rituali MS. Cencij Camerarij. Quare dubitaui, inquam, an vel Amanuenſis in tranſcribendo ex prototypo, vel impreſſoris error fuiſſet in mutatione vnius literæ *v.* in *o*, quæ non mediocrem affinitatem inter ſe habent. Recurri ideo ad Vaticanam Bibliothecam, in qua tres Codices reperi, MS. ſub n. 1146. 1647. 1148. in quibus omnibus legitur, *qui Rugam obſeruant*. Idem poſtea legitur in exemplari Ritualis MS. Monaſterij S. Galli Conſtantienſis Prouinciæ Moguntinæ, quod mihi commodauit ſupramemoratus Ioſeph Maria Thomaſius: Qua propter ſeriò concluſi, *Rugam* in Romano Ordine expreſſam

nil

nil aliud omninò denotare, niſi viam, per quam iter, ac tranſitus eſſet Pontifici; ideoque munus Acolythorum fuiſſe, eandem liberam cuſtodire, ne à Clero Pontificis tranſitus impediretur. Hoc idem muneris hodie excercetur à cæremoniarum Magiſtris, qui veluti Speculatores inuigilant, vt libera pateat via, per quam Pontifex tranſire poſſit, & ideo vtuntur operâ Militum leuis armaturæ, vulgo *Lancie ſpezzate*, qui propiores, ac proximiores ſunt cuſtodiæ corporis Pontificij, ſicuti remotiores, Præfecti ſunt Heluetiorum, quos vocant *Barbette*; nam Verbum *obſeruo*, vt explicat Valla lib. 4. oculis animoque in modum ſpeculatoris aliquid cuſtodire ſignificat. Præter ſuperiùs allatas auctoritates de voce *Ruga*, duo perantiqui Florentini Scriptores adſunt, qui eâ vernaculo idiomate, Italico ſcilicet, vſi ſunt, nempe, Boccacius in Nouell. 15. & 26. vbi hæc: *Sù per vna via chiamata la* Ruga *Catalana*, ideſt: *per viam appellatam* Rugam *Cathalanam*. Et Ioannes Villanus in ſuis Chronicis lib. 3. cap. 2. inquit: *Come tiene hoggi la grande* Ruga *che va da S. Giouanni inſino al Veſcouado. Sicuti habet hodie magna* Ruga, *quæ ducit à S. Ioanne vſque ad Cathedralem*. Eadem vox plurimis alijs in locis eorumdem Auctorum legitur. Vnde colligitur apertiſſimè, vocem hanc neutiquam Latinam eſſe, ſed Barbaram;

ean-

eandemque cum Du-Cange ab alia Gallica deriuâſſe conijcio, *Rue* videlicet, quæ Latinè viam ſonat.

Inclyta enim ac maximè induſtria Gallorum Natio literis, armis, mercaturæ, ac itineribus dedita in omnes ferè orbis terrarum partes peregrinata eſt, & quotidie peregrinatur; hinc multas vbique gentium, locorumque reliquiſſe idiomatis patrij voces, â vero alienum non eſt. Inter quas hanc *Rue*, quæ in vtriuſque Siciliæ Regno adhuc viget, corruptè tamen: vt *Rua*, pro *Rue* proferatur. Immò in alijs Prouincijs in *Rugam* mutata fuit, præſertim in Aprutio & Thuſciâ, vbi vel hodie in aliquibus locis retinetur; tum etiam in Oriente, quando in ijs partibus Chriſtiani dominabantur, vt colligitur ex Vghellio in ſua Ital. Sacr. To. 4. pag. 1099. in Epiſcopis Vercellenſibus, vbi refert quandam ſententiam latam anno Domini 1212. à Patriarcha Hierſolymitano, in qua fit mentio cuiuſdam domûs ſitæ in Ruga S. Laurentij. Item in pag. 1165. donationem refert ſub anno 1099. factam à Principe Tanchredo Normanno olim Cathedrali, nunc Archiepiſcopali Eccleſiæ Ianuenſi de quibuſdam bonis in Regno Hieroſolymitano exiſtentibus: in hac donatione exprimitur *Ruga* Antiochiæ, pariter pag. 1205. in Donationis eiuſdem confirmationem anno 1179. iterum

rum repetitur hæc vox; quæ vtique circa medium octaui ſæculi, primùm auribus Italorum inſonuit, vt ſupra expreſſimus in vita Stephani IV. qui floruit anno 768.

Hæc tam de voce *Ruga*, quàm de alijs ſupra relatis coniecturis dicta ſufficiant, quæ grato bonoque animo amice Lector ſuſcipias rogo, vt ad reliquas lucubrationes, quas præ manibus habeo, in lucem edendas, promptiorem ac hilariorem me concites. Si quid verò eruditionis, quæ peculiari curæ nobis fuit, tibi attulimus; vni Deo optimo maximo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit, referendum eſt; cui nos, noſtraque omnia, eiuſque in terris ſponſæ Catholicæ Eccleſiæ Romanæ ſingulari animi propenſione ſubijcimus.

LAVS DEO.

400.827

IN-

Digitized by Google

INDEX
RERVM, ET VERBORVM
Totius Operis.

A

ACOLYTHIS an permiſſum eſſet antiquitùs Euchariſtiam deferre ? Pag. 233.
Algerius de Azymo ſcripſit. 31.
Altaria plura Latini in Eccleſijs conſtruunt. 139.
Græci vnicum tantum. 139.
Altaſerræ Dadini Antonij ſententia de Fermento. 106.
S.Ambroſius Auctor Miſſę Ambroſianæ. 46.
Angelus Iulianus ſuper voce ἄρτος obſeruatio. 25.
Idem laudatur. 51.53.55.56.
Angeli de Nuce Archiepiſcopi Roſanenſis ſententia de Fermento. 186.
Idem laudatur. 194.201.
Antonij Dadini Altaſerræ ſententia de Fermento. 106.
Apoſtoli Chriſti fuerunt diligentes obſeruatores, & Cuſtodes dictorum, & factorum Domini. 42. 43.
Aqua in Euchariſtia indicat animam. 27.
Aquam frigidam in Calice Latini admiſcent. 139.
Græci calidam. 139.
Aquam tantummodò Cantores olim offerebant, & cur. 169.
Archidiaconus ponebat ſuper Altare tot Oblatas, quot Populo ſufficere potuiſſent. 77.
Argumentum Eminentiſſimi Cardinalis Bonæ contra D.

Thomam de vſu Fermenti occaſione Hæreſis Ebionæorum refellitur. 141.
Ἄρτος Græcis Panis dicitur. 10.
Ἄρτος in Sacris Literis pro quolibet Pane ſumitur. 22.
Ἄρτος Vox indifferens ad probandum Fermentatum, & Azymum. 26.
Auguſtini Antonij coniectura de Fermento. 108.
Azyma olim connotabant res futuras, nunc verò res præteritas. 52.
Azyma in nouo Teſtamento deſignant Meſſiæ aduentum, vt iam præteritum. 52.
Azyma in Veteri Teſtamento præſignabant Meſſiæ aduentum vt aliquando futurum. 52.
Azymi vſum circa annum 860. nondum in Eccleſia viguiſſe cenſet Bona. 133.
Azymis diuerſæ Nationes vſæ fuerunt, & vtuntur. 141.
Azymitæ Latini vocabantur à Græcis. 9.
de Azymo obiectiones factæ à Niceta Pectorato. 12.
Azymum in I. Sæculo vſitatum fuiſſe oſtenditur. 43.
In Sæculo II. 43.
In Sæculo III. 44.
In Sæculo IV. 45.
In Sæculo V. 46. 53.
In Sæculo VI. 53.
In Sæculo VII. 56.
In Sæculo VIII. 60.
In Sæculo IX. 61.
Azymo Michaëlis Cerularij Calumnia. 5.
Azymo Algerius ſcripſit. 31.
Gennadius Scholarius. 32.
Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis. 32.
Honorius Auguſtodunenſis. 32.
Hugo Eterianus, ſiue Thuſcus. 32.
Iuo Carnotenſis. 31.
Rodulphus Tungrenſis. 32.
Rupertus, ſiue Robertus Abbas Tuitienſis. 31.
Theophilactus Epiſcopus Bulgariæ. 17.

Azy-

Digitized by Google

Azymus Panis quomodo conficiatur. 11.
Azymus Panis in Secretario à Miniſtro Altaris conficiebatur. 58.

B

BAptiſmum Latini vnica aſperſione aquæ celebrant, Græci verò tribus. 140.
Barlaamus de Seminaria Epiſcopus Hieracenſis de Azymo ſcripſit. 32.
Baronij Card. iudicium de Fermento. 91.
Batſac vox Hebraica 49. quid ſignificet. *ibid.*
Bella omnium malorum cauſa. 209.
Bellarmini de mixtione Vini conſecrati, cum Vino non conſecrato opinio. 196.
Binij Seuerini ſententia de Fermento. 92.
Bonæ Cardinalis ſententia de Fermento. 83.
Eius argumenta de Fermento refelluntur. 134.
Eius argumentum contra DiuumThòmam de vſu Fermentati occaſione Hæreſis Ebionæorum refellitur. 141.

C

CAbaſsutij Ioannis de Fermento iudicium. 106.
Calix antiquitùs erat anſatus. 169.
Calices lignei. 179.
Calix Maior, ſiue Miniſterialis erat etiam Scyphus denominatus. 175.
Calicum Vitreorum vſus durauit vſque ad tempora Caroli Magni. 179.
Calumnia Michaëlis Cerularij de Azymo. 5.
Calumniæ Photij. 2.3.
Canon Concilij Secundi Romani ſub Stephano I. declaratur. 236.
Canon IV. Concilij XVI. Toletani expanditur. 144.

Cantores antiquitùs aquam tantummodò offerebant. 169. & cur. *ibid.*
Capiſuccus Cardinalis laudatur. 233.
Carpineus Cardinalis laudatur. 233.
Eius Cimelium. 178.
Caroli Magni tempore Panes Miſſæ Azymi erant. 123.
Caſanate Hieronymus Card. laudatur. 185.
Eius Bibliotheca. 185. 249.
Chiſij Card. Cimelium laudatur. 178.
Chriſti non omnis actio præceptum continet. 138.
Chriſtus ſi poſt reſurrectionem aliquando conſecrauit, Panem communem, & Fermentatum adhibuiſſe putat Bona. 138.
Claudij Eſpencæi coniectura de Fermento. 70.
Conſecratio aliquando pro Confirmatione accipitur. 227.
Conſecratum, & ſanctificatum differunt. 230. 232.
Conſperſio quid ſit. 48. 49. 50.
Conſtantini Pogonati Imp. interrogationes factæ Legatis de Sacrificio Corporis Chriſti. 13.
Cuſani, ſiue de Cuſa Cardinalis ſententia de Fermento. 89.

D

DEpoſitio Photij à Romano Pontifice facta. 3. 4.
Diaconi frangebant Oblationes conſecratas. 177.
Diſcipuli Domini frangebant circa domos Panem. 161.
Diſcipuli Domini fuerunt diligentes obſeruatores, & cuſtodes dictorum, & factorum eius. 42. 43.

E

ECcleſia Fidelium conuentum, ac locum in quo Fideles congregantur deſignat. 161. 163.

Eccleſia Romana ſollicita cuſtos antiquarum traditionum. 140.
Emmanuel à Schelſtrate laudatur. 157.
Epiſcopi in locum Apoſtolorum ſucceſſere. 161. 164.
Epiſcopis nouiter conſecratis dabatur Euchariſtia ad communicandum per quadraginta dies. 132.
Eſpencæi Claudij coniectura de Fermento. 70.
Euchariſtia antiquitùs abſentibus mittebatur. 172.
An in vaſe vitreo, aut alia re deferretur? 176.
In caniſtro vimineo deportabatur. 179.
Ab alio confecta aduentori Epiſcopo porrigi ſolita. 72.
Antiquitùs Miſſa loco teſſeræ in ſignum mutuæ communionis.
Epiſcopis nouiter creatis dabatur ad communicandum per quadraginta dies. 132.
Euchariſtiæ Sacramentum Chriſtus Dominus in vltima Cœna inſtituit. 161.
in Euchariſtiæ Sacramento tria tantùm reperiuntur Farina, Aqua, & Ignis. 27.
Euchariſtiam deferre, an permiſſum eſſet olim Acolythis? 233.
Euchariſtiam aſſumendi proprijs manibus conſuetudo perdurauit vſque ad VIII. Sæculum. 236.
Euchariſtiam qui eiuſdem fidei erant in ſignum Communionis, ſibi mutuò mittebant. 182.
Eulogiæ Azymæ erant. 158.
Eulogias loco Euchariſtiæ accipiebant, qui ad Communionem non erant parati. 93. Omni Dominico die illis Eulogiæ dabantur. 145.

F

Farina in Euchariſtia carnem denotat. 27.
Farinæ loco denarij offerebantur. 59.

Fari-

Farinam olim Sacerdotes de ſingulis domibus accipiebant, & ex illa ſacrum conficiebant Panem. 58.
Fermenti Myſtici attributa. 81.
Figura in modum Coronæ. 123.
Miſſitatio quando ceſſauit? 209. 213.
Vſurpatio iam obſoleuerat tempore Innocentij Tertij. 130.
Tranſmiſſio non ſolùm Romæ, ſed in alijs quoque Ciuitatibus vſurpabatur. 129.
Particulæ potiùs in vaſe, quàm in ſacculo ad Titulos deferebatur. 177.
Miſſitatio per Titulos intermiſſa. 208.
Miſſitatio reſtituta. 210.
Diſtributio facta in die Sabbati ante Dominicam Palmarum. 212.
de Fermento Angeli de Nuce ſententia. 186.
Antonij Auguſtini. 108.
Antonij Dadini Altaſerræ. 106.
Baronij Card. iudicium. 91.
Bonæ Cardinalis. 83.
Chriſtiani Lupi. 87.
Cuſani, ſiue de Cuſa Card. 89.
Eſpencæi Claudij. 70.
Franciſci Mariæ Florentini. 69.
Iacobi Sirmondi. 75.
Innocentij Papæ I. Epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum. 63.
Ioannis Caballutij iudicium. 106.
Ioannis Mabillonij. 111.
Ioſephi Mariæ Thomaſij expoſitio. 113.
Latini Latinij ſententia. 73.
Melchiadis Papæ decretum. 63.
Petri Epiſcopi Vrbeuetani iudicium. 68.
Seuerini Binij. 92.
Siricij Papæ conſtitutum. 64.
Fermentum, & Fermentatum multum inter ſe diſcrepant. 122.

Fer-

Fermentum quo tempore deſierit ignoratur. 131.
Cur die Dominico mitteretur? 129.
Etiam extra Vrbem mittebatur. 127.
Dicebatur particula illa Oblatæ à Pontifice conſecratæ. 163.
Erat ipſa Euchariſtia. 124.
Quod dabatur Sabbato in Conſiſtorio Lateranenſi, quid eſſet? 202.
Fideles non ſolùm Panem, ſed etiam Vinum offerebant. 162. 165.
Participes fieri curabant de eodemmet Pane ab Epiſcopo conſecrato. 162.
Presbytero Titulari Subiecti, quodammodo participabant de Fermento à Romano Pontifice miſſo. 174. 175.
Franciſci Mariæ Florentini ſententia de Fermento. 69.

G

GElaſij Papæ curà in reformanda Eccleſia. 209.
Gennadius Scholarius ſcripſit de Azymo. 32.
Gloria laus & honor tibi ſit Rex Chriſte &c. verſus, à quo ſint exarati. 246.
Gothi in Hiſpania floruerunt ſpatio 120. annorum. 148.
Gothorum in Hiſpaniam ingreſſus anno Domini 414. 148.
Gregorius Magnus Linguam Græcam ignorauit. 28.
Ante Pontificatum à Pelagio II. CP. tamquam Legatus miſſus. 29.

H

HErmannus Shenk Bibliothecarius Monaſterij S. Galli laudatur. 117.
Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis agit de Azymo. 32.

Hono-

Honorius Auguſtodunenſis de Azymo ſcripſit. 32.
Hugo Eterianus, ſiue Thuſcus tractauit de Azymo. 32.
Humbertus Syluæ Candidæ Legatus miſſus à Leone IX. CP. 9.
Hebraicæ, Græcæ, Latinæque linguæ peritus. 10.
Reſponſiones eiuſdem ad Græcorum obiectiones circa Azymum. 10.

I

IEiunia magna quatuor apud Græcos. 139.
Ignatius Patriarcha CP. è ſua Sede pulſus. 2.
Ignis in Euchariſtia demonſtrat diuinitatem. 27.
Innocentij I. Papæ Epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum. 64.
Interrogationes factæ Legatis ab Imp. Conſtantino Pogonato de Sacrificio Corporis Chriſti. 13.
Ioannes Beleth quo tempore floruerit? 229.
Ioannis Caballutij de Fermento iudicium. 106.
Ioſephi Mariæ Thomaſij expoſitio de Fermento. 113.
Iuo Carnotenſis de Azymo ſcripſit. 31.

L

LAtini Latinij de Fermento ſententia. 73.
Legati miſſi à Leone IX. CP. 9.
Legatio Photij ad Nicolaum I. 2.
Lupi Chriſtiani iudicium de Fermento. 87.

M

MAbillonius laudatur. 54. 57.
Eiuſdem iudicium circa Fermentum. 111.
Macedi placitum de Fermento. 99.

Ma-

Manuel Caleca de Azymo ſcripſit. 32.
Matronæ in Armoricis ſingulæ ſuam Oblatam Sacerdoti offerunt. 78.
Melchiadis Papæ decretum de Fermento. 63.
Michaëlis Cerularij qualitates. 4.
Miſſæ Ambroſianæ Ambroſius auctor. 46.
Mixtio Corporis D.N.I.C. cum Vino non conſecrato in die Paraſceues facta, quid ſit? 229.

N

Nicetæ Pectorati obiectiones de Azymo. 12.

O

Oblatæ conſecratæ à Pontifice in tot partes diuidebant, quot erant Eccleſiæ Titulares. 174.
Oblatarum particulæ Eccleſijs Titularibus per Acolythos mittebantur. 174.
Oblatas Archidiaconus tantas ponebat ſuper altare, quantæ Populo ſufficere potuiſſent. 77.
Oblatio Panis, & Vini omnibus Dominicis diebus fiebat. 76.
Quid denotet? 169.
Oblationem Sacram, ſcilicet Euchariſtiam ſibi reſeruabat Epiſcopus nouiter conſecratus ad communicandum vſque ad dies 40. 182.
Oblationes conſecratæ à Diaconibus frangebantur. 177.
Oblationes in ſacculis ab Acolythis delatis ponebantur. 177.
Offertorium in Miſſa quid denotet? 77.
Ordines, ſiue Rituales tot erant, quot Eccleſiaſticæ functiones. 248.
Ordines, ſiue Rituales ab Hittorpio editi non omnes ſunt Ordines Romani. 253.

Ordinis Romani antiquitas. 242.
Ordo Romanus ex Monaſterio S.Galli laudatus. 116.
Ordo Romanus idem eſt, ac Cæremoniale, ſiue Rituale. 242.

P

PAne ab Epiſcopo conſecrato Fideles participare curabant. 162.
Panem Azymum aliquando denotat ἄρτος. 21.
Panem, & Vinum offerebant Fideles. 162. 165.
Panes Azymos decoquendi in ferramento vſus. 59.
Pange lingua Glorioſi &c. à quo ſit exaratum. 246.
Panis Siligineus, eiuſque qualitas. 34.& ſeqq.
Similaceus, ſeu Similagineus. 34.
Confuſaneus 34. & ſeqq.
Furfuraceus. 34. & ſeqq.
Zymites, ſeu Fermentatus. 34. & ſeqq.
Azymus. 34. & ſeqq.
Αὐτόπυρος. 35. & ſeqq.
Πιτυρία. 36. & ſeqq.
Συγκομιστός. 37. & ſeqq.
Σιλιγνίτης. 38. & ſeqq.
Σεμιδαλίτης. 38. & ſeqq.
Panis ab Epiſcopo conſecratus, ac Panis à Presbytero ſanctificatus in vnum, & idem corpus transfunditur. 183.
Panis Sacer formatus cum ſumma reuerentia. 59.
Panis Sacer in denarij formam factus. 59.
Panis duplex cur ab Epiſcopo in die ordinationis ſuæ conſecraretur. 183.
Panis miſſus à Formoſo Papa Carolo Regi Francorum pro pignore pacis, ac vnanimitatis. 182.
Panis, ſiue Azymus, ſiue Fermentatus, ante conſecrationem Panis eſt, poſt conſecrationem corpus, & caro D. N.I.C. 30.

Pa-

Panis vſus apud Romanos per multa ſæcula incognitus. 33.
Paraſceue Paſcha, quid ſit? 21.
Particularum duarum Sacrati Panis in Calicem immiſſio, quid ſignificet? 227.
Particulæ Panis in vaſis vitreis potiùs quam in ſacculis deferebantur. 162.
Paſchæ vox multipliciter ſumitur. 20.
Perronius Card. de mixtione Vini ſacrati cum Vino non conſecrato opinio. 196.
Petri Epiſcopi Vrbeuetani iudicium circa Fermentum. 68.
Photij ſilentium non eſt argumentum pro vſu Fermentati de ſuo tempore. 139.
Photij calumnia. 2. 3.
Depoſitio à Romano Pontifice facta. 3.
Legatio ad Nicolaum I. 2.
Photius electus Patriarcha CP. eiuſque qualitates. 2.
Pontifex plures Oblatas conſecrabat, quas in tot partes diuidebat, quot erant Eccleſiæ Titulares. 162.
Populus antiquitùs confirmabatur Sanguine Domini. 226.
Populus Presbytero Titulari ſubiacens, communicando de Pane à Presbytero conſecrato, communicabat quodammodo de Pane à Pontifice conſecrato, ratione Particulæ Fermenti Titulari miſſæ. 184.
Presbyteri Titulares Miſſas non celebrabant, neque conſecrabant, ſed expectabant, donec veniret Fermentum. 127. 162.
Presbyteri in locum Diſcipulorum Domini ſucceſſere. 161. 164.
Presbyteri Titulares ante aduentum Particulæ Fermenti conſecrare non poterant. 180.
Presbyteris nouiter conſecratis dabatur Euchariſtia, vt per octo dies ſequentes ex illa communicarent. 132. 185.
Φύραμα ideſt conſperſio. 49.

R

RAynaudi ſententia de Fermento. 97.
Reſponſio Leonis IX. ad calumniam Michaëlis Cerularij de Azymo. 8.
Reſponſiones Humberti Syluæ Candidæ Legati ad obiectiones Græcorum. 10.
In Rituum Quæſtionibus quid dicendum. 239.
Rodulphus Tungrenſis de Azymo tractauit. 32.
Romanus Populus antiquitùs victitabat pulte. 33.
Ruga vox quid denotet? 260.
Ruga ab Acolythis conſeruata. 255.
Ruga Antiochiæ. 271.
S. Germani. 268.
Rugæ maiores. 262.
Rugæ argenteæ. 263.
De Auricalco. 263.
Rugæ in marmore, ſiue metallo. 264.
Rugæ in veſtibus. 264.
Rugæ ianuæ fuiſſe putantur. 265.
Sulci. 265. Canaliculi. 265. Siphunculi. 265. Argenteæ laminæ figuris ornatæ. 265. Via ſiue Corriuium, aut Carrobium. 266. Platea. 266. Vicus. 266. 267. 270. Semitula. 266. Limen. 267.
Rupertus, ſiue Robertus Abbas Tuitienſis ſcripſit de Azymo. 21.

S

S*Abbatum vacat Dominus Papa eleemoſynam dat*; quid ſignificat. 219.
Sacerdotibus multis cum Pontifice celebrantibus, an ille ſolus Sacramenta conficiat, qui primus conſecratoria verba pronunciat. 130.

Sal

Sal commixtus in Sacro Pane. 60.
Sanctificatum,& Conſecratum in quo differunt? 230.& 232.
Scholaſticorum de Azymo opinio ab Eminentiſs. Bona reprehenditur. 138.
Σιλίγνις. 38.
Siricij Papæ conſtitutum de Fermento. 64.
Sirmondi Iacobi de Fermento ſententia. 75.
Synodi Photianæ conuocatio. 3.

T

TArſitij Acolythi Hiſtoria. 126.
Theophilacti Epiſcopi Bulgariæ ſententia de Azymo. 17.
Thomaſij Ioſephi Mariæ expoſitio de Fermento. 113.
Eiuſdem opinio de Fermento, quod dabatur Sabbato ante Palmas. 214.

V

VAſa Sacra primis Eccleſiæ ſæculis ex qualibet materia erant. 178.
Vſitatiora vitrea. 178.
Eorumdem tempore Alarici Hiſtoria. 240.
Vini Sacrati cum Vino non conſecrato mixtio, cum qua olim Populus confirmabatur, quomodo intelligenda? 188.
De ipſa mixrione Auctoris ſententia. 199.
Vini conſecrati parua quantitas refundebatur in Vinum non conſecratum pro confirmando Populo. 175.
Vino ſanctificato confirmandi Populum ritus cur in deſuetudinem abierit? 197.
Vinum, & Panem Fideles offerebant. 162. 165.

Vinum Sacratum olim cum fiſtula percipiebatur. 195.
Virgo Maria, aliæque mulieres cum illa adſtantibus celebrarunt Paſcha cum D.N.I.C. qui eis Euchariſtiam impertiuit. 170.
Viſigothi, qui Occidentales erant, appellabantur Gothi.
Viſigothi erant Arriani. 147.
Viſigothi Honorij Imp. permiſſu Hiſpaniam occuparunt. 147.
Voces Eccleſiaſticæ antiquatæ. 251.& ſeqq.

FINIS.

Errata Corrigenda, & Addenda.

Pag. 12. linea 9. *lege.* Fidei. 23. lin.penult. præcedenti. 26. l.3. indifferentem. 46. l.5. fuiſſe. 59. l.8. offerret. 74. l.1. Die Dominico. 79. l.9. oblatio. 80. l.13. modeſtia. 80. l.18. pepererunt. 90. l.21. notatu. 101. l.9. manebat ne integer? 101. l.21. ſuperflua. 101. l.18. Parochis. 117. l.23. in lucem fuiſſet emiſſus. 117. l.26. Lectori. 123. l.23. Gregorij. 124. l.1. ſignificantiore. 140. l.3. Nos tribus ſeu vnica. 147. l.25. Epiſcoporum. 261. l.1. perfunctoriè. 175. l.9. Epiſcopo. 177. l.vlt. conſtarent. 196. l.14. peuple. 196. l.20. ou. 196. l.25. peuple. 217. l.7. longius. 221. l.24. Metenſis Eccleſiæ Diaconi. 231. l.19. Paraſceues. 234. l. 19. cognomento. 238. l.2. quo. 244. l.2. Ludouicus. 245. l. 7. fuiſſe. 247. l. 4. Ordinis Romani Auctorem Gelaſium habuiſſe. Hugo verò Auguſtodunenſis Bernoldum. 251. l.11. Scholæ. 252. l.15. ventilabat. Cenſeo propterea ex dictis hunc Ordinem redolere tempora Gelaſiana. 256. l.21. Sacra. 273. l.8. Angeli Iuliani. 275. l.4. Vnica ſeu trina.

Digitized by Google

DE LIBRIS

AB AVCTORE EDENDIS.

Monitio ad Lectorem.

CVM iam diù ſacris, profaniſque ſtudijs (quantum negociorum moles permittit) operam nauemus, atque adeò plurima congeſſerimus, quæ Reipublicæ literariæ, præſertim verò antiquarum eruditionum ſtudioſis, non iniucunda fore ſperamus. Cumque laboribus noſtris, quibus conficiendis animum adijciemus, ex aliorum cognitione, ſi nobis ea, quæ ipſi nouerint, in commune eiuſdem Reipublicæ bonum communicauerint, plurimum copiæ, atque lucis poſſit accedere. Admonendum Te bone Lector exiſtimaui de operibus, quæ iam abſoluta propediem, in lucem emiſſuri ſumus, tum de ijs, quæ cœpta ſunt, tum etiam de alijs, quæ in poſterum Deo opitulante elaborabimus.

Primum igitur opus, quod in præſenti Menſe Maij Typis mandabimus, eſt: *Examen libri Pon-*

Digitized by Google

tificalis , ſeu Vitarum Romanorum Pontificum , quæ ſub nomine Anaſtaſij Bibliothecarij circumferuntur , cum Catalogo ſatis inſtructo S. R. E. Bibliothecariorum .

Secundum iam abſolutum , quodque ante lapſum præſentis anni ſub prælo gemet , hunc habet Titulum: *Vetera monumenta , in quibus Muſiua præcipuè opera , ſacrarum profanarumque ædium ſtructura , ac nonnulli antiqui ritus diſſertationibus , Iconibuſque illuſtrantur . Pars* 1. Continet centum , & duas æreas Tabulas inciſas , in quarum nonnullis exprimuntur antiquiſſima Muſiua opera profana , & poſtea Eccleſiaſtica , quæ ſub quinto reparatæ ſalutis ſæculo elaborata fuerunt.

In II. Eorumdem Veterum Monumentorum parte , quam iam colligere , ac texere incœpimus , Muſiua opera in quinque ſequentibus ſæculis VI. VII. VIII. IX. & X. confecta exhibebimus.

In III. parte alia Muſiua opera demonſtrabimus, conſtructa in alijs quinque ſequentibus ſæculis , nempe per totum ſæculum XV.

In IV. autem parte Muſiua opera incerti temporis apponemus , & ſi vitam , & in ipſa occupatione otium D. O. M. prorogauerit , antiquas etiam Imagines , quæ operæ teſſellato non conſtant , expediam.

Dum tamen hiſce ſtudijs operam damus , tribus alijs

Digitized by Google

alijs Opuſculis inchoatis vltimam manum forſitan imponemus, primum eſt *de Sacris profaniſque Calicibus*, quorum nonnulla exemplari tranſcribenda curaui è Celeberrimis Pinacothecis EE. ac RR. DD. Chiſij, & Carpinei S.R.E. Cardinalium.

Secundum *de Sacris indumentis.*

Tertium *de Sacrarum Imaginum vſu, earumque Veneratione*. Quod omnium poſtremum futurum eſt, licet hucuſque plurima de hac materia congeſta nobis, ac penè in promptu ſint.

Omnia autem hæc ideo indicauimus, vt ſi quid Lector, habeas (& plura ſperare auſim, præſertim verò, quæ ſiuè ad Muſiua alicuius operis, aut Calicis, aut etiam Sacrorum Indumentorum Icones attinent) quod ad lucem afferendam hiſce elucubrationibus noſtris, quas promiſimus, valeat, gratiſſimum te mihi facturum ſcias, ſi ad me tranſmiſeris. Neque Tua Te in immemorem, aut ingratum beneficia collaturum putes: quod enim ad me ſpectauerit (ſpectabit autem purior, potiſſimaque pars beneficij) æternas me tibi grates debiturum profiteor; quod ad alios, quorum eruditionem ſymbolæ tuæ collatione promoueris, curabo vt ſciant cui nam ipſi, & quidem maximas referre debeant, condignam enim tui mentionem faciam in hiſce operibus, atque ita beneuolentiæ tuæ vicem, quo potero gratiſſimo teſtimonio nominis, & amoris in me tui rependam. Vale.

by Google